



# Dissertatio theologica de Jesu in vitam reditu

<https://hdl.handle.net/1874/9750>

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

**JESU IN VITAM REDITU,**

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

**J. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD,**

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCT. ET LITT. ORIENT. PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

AC

VENERANDAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

**Pro Gradu Doctoratus,**

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

**IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,**

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

**JACOBUS ISAÄCUS DOEDES,**

E PAGO LANGERAK.

A. D. XVI M. JUNII, A. MDCCCXLI, HORA I.

---

TRAJECTI AD RHENUM,

ATUD C. VAN DER POST JUNIOREM,

Bibliopolam.

---

TYPIS K. J. GIEBEN.

**PARENTIBUS OPTIMIS**

**CARISSIMIS**

**SACRUM.**





## PRAEFATIO.

---

*Habeo sane, quod gaudio exsultem, quum, jucundissimo juventutis stadio peracto, recolere mihi liceat, quaecunque in me contulerint beneficia omnes, quos amore et amicitia prosequor; simul vero, dolore me affici non est quod diffitear, quum ab Academia avocer, cui tot ac tanta debeo. Mihi enim contigit, dulcissimam vitae partem Theologiae studiis consecrare, quodque in summis semper habui votis assequi. Disquisitionem instituere mihi licuit de re gravissima, quam summi esse momenti omnes lubentes agnoscant. Dolet certe meliora dare me non potuisse, at aequus quisque judex concedat, ubi pro virium tenuitate in rem, expositu difficilem, tiro indagat, benevole ejus disquisitionem esse dijudicandam, neque vel acerba crisi contorquendam, vel aculeatis vexendam esse verbis. Si cui alii, huic certe meae disputationi benigno judice opus est. Quod si mirum cui videatur, in hoc potissimum argumentum me oculos convertisse, perpendat, quaeso, ejus gravitatem atque nexum, et cum variis rerum capitibus, et cum aetatis, qua vivimus, indole. Si plura his inesse animadvertat*

*benevolus lector, quae emendatione indigeant, haec juveni non admodum perito ignoscat.*

*Haec cum lectoribus de hoc opusculo communicanda habui. At vero, tibi, Carissime Pater! illud dicavi, quippe cui arctissimo pietatis vinculo devinctum me sentio, quemque summo jam gaudio affectum esse scio. Qui me a teneris inde dilectum habuisti, instituisti, puero prospexisti, juvenem Minervae sacrum templum ingredi voluisti, tibi, Pater, quum filio verba desint, quae habeo, offero. Studiorum hae primitiae testes tibi sint grati animi, quod me ad munus obeundum adhortatus es, cujus et difficultates ipse, et fructus uberrimos cognovisti; testes tibi sint amoris, quo numquam non te colendum esse duxi. Utinam Deus O. M. det tibi vitam longam, qua CHRISTI honorem provehere, iisque, quos curae tuae mandavit, consulere pergas, mihi que aliquando dux existas et monitor, ubi honorificentissimum mihi munus offeretur. Quum verba deficiant, testentur facta, prouti ipse semper factis paternum mihi amorem significare maluisti, quam verbis.*

*Quam pater inchoavit institutionem, vos, Praeceptores! absolvere voluistis, quos praesertim hac in Academia egregios nactus sum doctores. Non facile liberalis institutionis, qua in scholis CII. HEUSDII (cheu! nobis erepti) GOUDOEVERI, GROENEWOUDI, SCHRÖDERI, usus sum, memoriam delebit dies, multo vero minus comitatis, qua vos me recepistis, Viri Clarissimi! in Theologicis studiis duces mihi ac suasores. Per quatuor ferme annos, quibus Cl. BOUMANNI scholis interfui, eximia ejus institutione frui mihi licuit, quamque discipuli ejus cognitam habent, viri bene-*

*volentiam expertus sum, quoties comiter consilium rogantem me recepit. Jubent in me collata beneficia, ut Cl. ROYAARDSIO gratias agam, cujus discipulis me annumerari glorior. Multifaria ratione mihi providit, utque de aliis taceam, eo praesertim temporis spatio, quo in dissertatione conscribenda versatus sum, quoties Virum Cl. adibam, liberaliter mihi suppeditavit, quibus indigebam, libros. Utriusque Viri institutio hanc in me habuit vim, ut in dies feliciorum me praedicarem, quod in alma hac Musarum sede Theologiae operam navarem, iisque ducibus ad studia exegetica, critica, historica incumberem.*

*Accedit, quod tibi, Cl. VINKE, Praeceptor carissime, praeter alia et hoc debeam, quod Promotoris partes suscipere haud recusasti, et amicus mihi exististi, quem maximi non facere non possum. Benevole consiliis mihi adfuisti, viam monstrasti, quumque hanc conscriberem dissertationem, monitis auxilium roganti succurristi. Tua quoque institutio effecit, ut scientiarum amor excitaretur, ardor aleretur, studium confirmaretur. Quam ut in aliis quoque habeat vim, vobis, Viri Clarissimi! utinam Deus O. M. felicem concedat vitam, in Academiae emolumentum, Ecclesiae salutem, patriae decus!*

*Est omnino quod beatum me praedicem. Si enim vere dixerit SIRACIDES: ὁ εὐρὼν (φίλον πιστόν) εὖρεν θησαυρόν, me CROESO ditiozem esse credatis.*

Intactis opulentior

Thesauris Arabum et divitis Indiae

*hac in Academia versatus sum, quod ne de gemmis accipiatis velim, aut divitiis, sed de vestra, carissimi Sodales! amicitia. Singularis enim mihi fortuna*

*concessit, vestra, Amici conjunctissimi! societate frui, qua ad quodcunque bonum incitarer, qua veri quaerendi studio urerer. Recordemini, quaeso, horas illas vespertinas, subinde nocturnas, quibus, sodalitio quodam conjuncti (meministisne Societatis זמן לכל?) vel de variis doctrinae capitibus, vel de quibuscunque tandem juvenili aetati gratis jucundisque colloquebamur, quibus vel praeterita recolebamus, vel futura vaticinabamur, praesenti tempore semper quam suavissime utentes. Festivitas, hilaritas nobis praeses erat; lubensque equidem profiteor, quoties vobiscum licuerat*

Ducere sollicitae jucunda obliviae vitae,

*domumque redibam, et amicis conjunctiorem et meliora edoctum me sensisse. Sensim abierunt, quibus seriora peragenda erant, quosve munera manent, jamque ipse vobis valedico. At vestrum memor sum, Amici dilectissimi! prouti vos mei, scio enim, non facile oblituri estis. Conjunxit nos amoenissima illa urbs Trajectina, exoptatissima mihi, cui, quod vitam vere vitalem mihi reddidit, acceptum refero, cujusque, aequum ac vos, obliturus sum. Valeatis, amici! quorum curam et novissime compertam habui, valeatis, quorum amicitia tristitiam propulit, gaudium aluit, scientiarum studium incitavit. Sit dulce, quod nos junxit, vinculum aere perennius!*

Scipsi TRAJECTI AD RHENUM,

10 Jun. 1841.



# DISSERTATIONIS CONSPECTUS.

## INTROITUS.

	Pag.
Introitus argumentum . . . . .	1—3.
§ 1. <i>Rei nostrae adversarii</i> . . . . .	4.
I. Qui discrete eam negarunt, aut ambigue de ea locuti sunt	4—21.
II. Qui JESUM vere mortuum fuisse infitias iverunt . . . . .	21—23.
§ 2. <i>Rei nostrae propugnatores</i> . . . . .	23—32.
Disputationis distributio . . . . .	32.

## PARS I.

### JESU IN VITAM REDITUS VINDICATUR.

Partis argumentum . . . . .	33.
-----------------------------	-----

## CAPUT I.

### EVANGELISTARUM DE JESU IN VITAM REDITU NARRATIONES DIJUDICANTUR.

#### SECTIO I. Narrationum Evangelistarum expositio . . . . . 34.

§ 1. <i>Matth.</i> XXVIII: 1—8 . . . . .	34—39.
§ 2. <i>Marc.</i> XVI: 1—8 . . . . .	39—42.
§ 3. <i>Luc.</i> XXIV: 1—12 . . . . .	42—44.
§ 4. <i>Joh.</i> XX: 1—13 . . . . .	45—47.

#### SECTIO II. Narrationum Evangelistarum fides historica.

§ 1. <i>Narrationes inter se conveniunt</i> . . . . .	48.
I. Pugnae species exponitur, quam in iis animadvertimus	49—51.

	Pag.
II. De varia ratione, qua interpretes de hac pugnae specie senserint, agitur . . . . .	51.
1. Qui eam tolli posse statuerunt (Harmonistae)	51—54.
2. Qui eam tolli posse negarunt (STRAUSSII sententia)	55, 56.
III. Narrationes minime inter se dissentiunt . . . . .	57.
Praemonenda . . . . .	57—59.
Narrationum consensus . . . . .	59—70.
Narrationum, in concordiam redactarum, conspectus .	71, 72.
Conclusio . . . . .	72, 73.
§ 2. <i>His narrationibus nihil inest, quod fieri non potuerit.</i>	73.
STRAUSSII de Angelophaniis sententia exponitur et refu- tatur (PAULUS, HASE) . . . . .	73—79.
§ 3. <i>A testibus fide dignis hae narrationes originem ducunt</i>	79—85.

## CAPUT II.

## ARGUMENTA PRO REI VERITATE RECENSENTUR.

Capitis distributio . . . . .	85, 86.
-------------------------------	---------

SECTIO I. Fraudis suspicio removetur (*Argumentum  
q. d. negativum*) . . . . .

Iis, qui vel fraudi tribuunt, vel mythum dicunt JESU in vitam reditum, obstant . . . . .	87.
§ 1. <i>Apostolorum indoles cogitandique ratio</i> . . . . .	88.
I. Animus eorum simplex verique amans . . . . .	88, 89.
II. Apostolorum animi tristitia eorumque expectationes Eas cum STRAUSSII sententia pugnare ostenditur .	89—91. 91, 92.
§ 2. <i>Fraudis adhibendae difficultates</i> . . . . .	93.
I. Senatûs Judaeorum agendi ratio JESU resuscitationis veritatem comprobat . . . . .	93—96.
II. Milites, sepulcrum custodientes, fraudem impedire potuerunt . . . . .	97.
Adversariorum, contra hanc de militibus narratio- nem, objectiones exponuntur . . . . .	98, 99.
Narrationis fides historica vindicatur . . . . .	100—105.
III. Sepulcrum vacuum testatur, in vitam rediisse JESUM WEISSII sententia, fabulam dicentis narrationem de sepulcro vacuo, exponitur et refutatur . . . . .	105. 106—110.
STRAUSSII hac in re disputandi ratio improbat .	110, 111.

SECTIO II. JESU in vitam revocati apparitiones  
(*Argumentum q. d. positivum*) . . . 111.

Evangelistarum de JESU, a discipulis conspecto, narra-  
tiones brevi exponuntur . . . . . 112—116.

*Ann. Loci* Marc. XVI: 9—20 authentia vindicatur. 112—114.

*Ann. De Job.* XXI authentia . . . . . 115, 116.

Quatuor rerum capitibus earum fidem historicam pro-  
batum sumus . . . . . 116, 117.

§ 1. *Quae de JESU, in vitam revocato, a discipulis  
conspecto, referunt Evangelistae, egregie inter se  
conveniunt* . . . . . 117.

I. Sententia STRAUSSII de repugnantia, in his narratio-  
nibus obvia, exponitur . . . . . 117—122.

II. Pugnae tantum speciem adesse, earum consensu vin-  
dicato, ostenditur . . . . . 122—132.

Narrationum, in concordiam redactarum, conspectus. 133, 134.

§ 2. *JESU redivi apparitiones suadent, ut fidem ha-  
beamus iis, qui de illis testimonium ferunt* . . . 135.

Corpore humano indutus, conspiciendum se JESUS  
praebuit discipulis, qui de re, sub sensu cadente,  
judicium ferunt.

I. Quonam corpore indutus fuit JESUS in vitam re-  
vocatus? . . . . . 136.

A. Quid alii de hac quaestione statuerunt?

a. Alii corpus subtile, aethereum, CHRISTO  
tribuerunt . . . . . 136—138.

b. Alii idem corpus, sed glorificatum, dixerunt 138—140.

c. Alii CHRISTI corpus non mutatum esse sta-  
tuerunt . . . . . 140, 141.

B. S. Scriptores humanum JESU corpus tribuerunt,  
idem illud, quo antea indutus et mortuus est 142—151.

II. Quibusnam conspiciendum JESUS se praebuit? . . 151, 152.

Nullam movet difficultatem, quod inimicis se vi-  
dendum non praebuit . . . . . 153—156.

III. Harum apparitionum indoles . . . . . 156.

Antecedentia STRAUSSII de *visionibus* sententiae obsunt 156—158.



	Pag.
Neque WEISSIO, cujus sententia exponitur et relél- latur, favent . . . . .	158—165.
Conclusio . . . . .	165, 166.
§ 3. <i>Omnia, hucusque ex Evangeliiis percepta et dis- putata, egregie confirmantur PAULI testimonio, 1 Cor. XV: 4—7</i> . . . . .	166.
Loci interpretatio . . . . .	167—169.
Male STRAUSSIIU provocasse ad 1 Cor. XV: 3, ut CHRISTI apparitiones <i>visionum</i> nomine insigniret, ostenditur . . . . .	169—174.
§ 4. <i>His nihil inest, quod cum naturae legibus pugnare jure quis statuat</i> . . . . .	174.
Quo jure negent STRAUSSIIUS aliique, mortuum in vitam posse revocari, indagatur . . . . .	175—179.
Conclusio . . . . .	179—181.

## PARS II.

### JESU IN VITAM REDITUS MOMENTUM PROBATUR.

Partis argumentum . . . . .	182, 183.
-----------------------------	-----------

### CAPUT I.

#### NEXUS, QUI JESU IN VITAM REDITUI CUM EJUS VITA ANTE MORTEM TERRESTRI INTERCEDIT.

STRAUSSII IN JESU vita describenda agendi ratio improbat	184, 185.
§ 1. <i>Nexus cum fatiis JESU extraordinariis</i> . . . . .	186—191.
§ 2. <i>Nexus cum doctrina, quam de se ipse professus est</i>	191.
I. Qui <i>ἀναμαρτησίαν</i> sibi tribuit . . . . .	192—195.
II. Qui <i>τὴν ζωὴν</i> et <i>τὴν ἀνάστασιν</i> se esse professus est	195—198.
III. Qui in vitam se rediturum esse vaticinatus est	198—204.
Erravit SCHLEIERMACHERUS, JESU reditum in vitam ad doctrinam de Ejus persona referendum esse negans	204—207.
§ 3. <i>Nexus cum fatiis Ejus mirificis</i> . . . . .	208—211.

### CAPUT II.

#### NEXUS, QUI JESU IN VITAM REDITUI CUM HISTORIA APOSTOLORUM INTERCEDIT.

§ 1. <i>Nexus cum mutata Apostolorum animi conditione</i> . . . . .	212.
Dubitantium observamus inconcussam fidem . . . . .	213, 214.

- Animo deficientium atque in agendo infirmorum  
videmus audaciam et constantiam . . . . . 214—216.  
Anxiorum tristisimamque cernimus animum laetum . 216—219.  
§ 2. *Nexus cum Apostolorum fati post IESU in coelum  
ascensionem* . . . . . 219—223.

## CAPUT III.

NEXUS, QUI IESU IN VITAM REDITUI, CUM FATIS ECCLESIAE  
CHRISTIANAE PRIMAETVAE INTERCEDIT.

- § 1. *Nexus cum Ecclesiae Christianae origine inter  
Judaeos* . . . . . 224—228.  
PAULI Apostoli ad sacra Christiana conversio . . 228—230.  
§ 2. *Nexus cum Ecclesiae Christianae propagatione  
inter alienigenas* . . . . . 231—235.  
Negato IESU in vitam reditu, nullo modo explicari  
potest, qua ratione aliquando exstiterit Ecclesia  
Christiana . . . . . 235—239.

## CAPUT IV.

NEXUS, QUI IESU IN VITAM REDITUI CUM SPE NOSTRA  
SALUTIS FUTURAE INTERCEDIT

- § 1. *Nexus cum justificatione nostra* . . . . . 240—245.  
§ 2. *Nexus cum emendatione nostra* . . . . . 246.  
IESU in vitam reditus imago est emendationis no-  
strae moralis . . . . . 246—248.  
Idem ejus stimulus est habendus . . . . . 248—249.  
§ 3. *Nexus cum resurrectione nostra vitae futurae* . . 250.  
Resurrectionis nostrae pignus. . . . . 250—252.  
Vitae aeternae fundamentum . . . . . 252—253.

ἡ ζωὴ ἐγαερώθη.

1 Joh. I: 2.

## I N T R O I T U S .

---

Quo magis recentiori denuo tempore viderunt Theologi, tum demum in JESU CHRISTI persona perfectissimam cerni Dei patefactionem, quum vitam Ejus, fata, actus, doctrinam, accurate exponerent, eo majore studio hoc eos fecisse videmus, ubi firmissimum illud religionis Christianae argumentum a nonnullis labefieri animadverterent. In eo nostra aetas praesertim de religione Christiana bene meruit, quod accuratius, quam antea factum esset, *et* sanctissimi Sospitatoris vitam *et* doctrinam de CHRISTO exposuerit. Quod in primis temporum ratio suasit. Etenim philosophi, quum eorum placita rarius convenirent cum doctrina Christiana, discrimen hocce dissimulare studuerunt, quocirca alii ad codicis sacri usum loquendi se accommodarunt, ut sic pugnae speciem saltem evitarent, alii vero illius effata *et* doctrinam infringentes, convenire illa prorsus cum sua philosophia probasse sibi visi sunt. Quod utrumque, quam perniciosum indoctis rei que minus peritis, quam perniciosum ipsi doctrinae Christianae fuerit, sponte patet. Histo-

riam quoque biblicam contortam videmus, atque JESU CHRISTI vitam, caeteris convenienter expositam, ut pugnae species evanesceret. Praeterierunt quidem tempora, quibus Deistae, ex Anglia potissimum oriundi, fraudi fere tribuerent omnia, quae de JESU tradiderunt Evangelistae et Apostoli, illisque in Germania multi faverent. At eorum dubiis, licet satis refutatis, recentiores sub alia forma usi sunt, quamque tum in JESU vita irridenda tum in CHRISTI *resurrectionis* veritate debilitanda, operam posuerant multi, eam itidem, quotquot religionem Christianam nostra aetate oppugnare atque evertere studuerunt, in fidei, JESU resuscitationi habendae, detrahendo consumserunt. Quis vero illud miretur? Quod si CHRISTUS habeatur ἀπογονιᾶϊός, atque e sepulcro redivivus Dei filius declaratus sit hac ipsa e mortuis resuscitatione, hanc si quam aliam vitae ejus partem aggressi sint necesse est adversarii, quos CHRISTI vita a scriptoribus ἀξιόπιστοις tradita atque Christiana religio offendit. Accesserunt philosophi, qui historiam idearum involucrum potius, quam testem temporum, lucem veritatis et nuntiam vetustatis haberent, quique ad libidinem eam fingerent, sibi que construerent. Hos quoque resurrectionis CHRISTI veritatem historicam nonnumquam negare, at ejus significationem symbolicam magni facere videmus. Attamen, CHRISTUM, *vere mortuum, in vitam e mortuis die tertio rediisse, corpore indutum*, docent N. T. libri, quod a JESU inde temporibus ad hujus saeculi initium negarunt multi, tuiti sunt atque probarunt quam plurimi. Adversarios vero,

qui nuper exstiterunt, quum data opera ex omni parte nondum refutatos observarem, gravissimam hancce, simulque exposito difficillimam vitae JESU partem mihi tractandam sumsi, ejusmodi disquisitionem cum nostrae aetatis meisque studiis congruere existimans. Supervacaneam fortasse quis eam putet, ubi tot ac tanta jam de JESU in vitam reditu dicta esse videt; at, quaeso, ad hoc attendat, quamdiu dubia moventur contra rem, cujus veritas nostra tanti interest, tamdiu eam, nisi convicti ab adversariis haberi velimus, argumentis esse comprobendam ac tuendam.

Omnibus adversariis, qui rem nostram in dubium vocarunt, respondere non nostrum est, quum eorum recentissimi silentio nonnulla praetermiserint, quae ab antiquioribus satis superque refutata sunt. Quod ut luculentius pateat, antequam ad ipsam disquisitionem accedamus, *primum* videndum est de iis, qui JESU in vitam reditum negarunt, brevi addito conspectu *et* interpretationum, quas de re nostra dederunt, *et* argumentorum, quibus usi sunt singuli adversarii, quorum tamen catalogum dare neque necessarium nec gratum esset; magis attendendum esse censuimus ad motas difficultates et dubitationes, quam ad illos, qui eas moverint; *deinde* de iis, qui rem nostram probare ac tueri conati sunt, videbimus.

§ 1.

*Rei nostrae adversarii.*

Inter eos, qui in vitam e mortuis rediisse JESUM, corpore indutum, negasse censendi sunt, fuerunt alii, qui totidem verbis ac sine ambagibus novae CHRISTI his in terris vitae initium infitias irent, aut ambigue de eo loquerentur, Eum mortuum fuisse omnino concedentes; alii, qui JESUM in vitam rediisse affirmarent, at revera mortuum eum fuisse negantes potius de animi deliquio cogitarent. Num vero e mortuis resuscitatus dici potest ille, qui mortuus non est, quem e gravi somno potius expergefactum haberi oportet? Hos igitur cum adversariorum numero conjungimus, quia JESUM e mortuis in vitam rediisse numquam concedent.

I. In vitam rediisse JESUM negarunt nonnulli, ac fraudi discipulorum tribuerunt totam rem, alii contra, licet de fraude discipulos non criminarentur, satis ambigue tamen de veritate historica resurrectionis locuti sunt. Separatim de iis videamus.

Aequales Sospitatoris nostri numquam publice, quatenus saltem Evangelistarum narrationes consulere atque ex iis concludere nobis licet, in vitam rediisse JESUM negarunt, vel fraudem quamdam suspicati sunt, at vel sic tamen diligenter non tantum prohibere studuerunt redivivi annuntiationem, sed etiam ipsi eorum proceres auro corrumpere milites, qui CHRISTI sepulcrum custodierant, non veriti sunt, eos dicere jubentes: »de-

» functi discipulos noctu venisse, ipsisque dormientibus cadaver subduxisse,» cujus furti fama viguit, cum Graecum ΜΑΤΘΑΙΕΙ Εὐαγγέλιον conscriberetur (1). Quod isti excogitarunt, omni aeo statuerunt Judaei. Ex JUSTINI *Martyris* (165) Dialogo πρὸς Τρύφωνα Ἰουδαῖον eandem famam a Judaeis ubique divulgatam fuisse audimus; sc: οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ κλέψαντες αὐτὸν ἀπὸ τοῦ μνήματος νυκτὸς — πλανῶσι τοὺς ἀνθρώπους, λέγοντες ἐγγέσθαι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν. κτλ. (108) et TERTULLIANUS (220), » Nihilominus tamen,» inquit, » primores, quorum intererat et scelus divulgare et populum vectigalem et famularem sibi a fide revocare, » surreptum a discipulis jactaverunt;» quod ex Judaeorum scriptis quam luculentissime patet, qui multa hac de re fabulantur, atque furis nomen se cognitum habuisse jactant. Istum enim JUDAM fuisse tradit scriptor libri ישׁתלח (2).

Ab illis recedens CELSUS, medio saec. II, in libro deperdito, cui titulus ἀληθῆς λόγος, religionis Christianae acerbus adversarius, negavit in vitam rediisse JESUM, quam narrationem fictitiam dixit, a discipulis defuncti, fortasse etiam visionibus deceptis, excogitatam. Provoceat, tum ad ejusdem generis praestigia, quibus apud gentiles ZAMOLXIS, PYTHAGORAS, RAMPSINITUS aliique credulos deceperunt; tum ad difficultates, quod mortuus eodem

(1) Matth. XXVIII: 12—15.

(2) Ed. WAGENSEILII, p. 18. Cf. EISENMENGERI *Entdecktes Judenthum*, I, 193 sq.



corpore resurrexerit, quod Judaeis JESUS oculis usurpandum se non praebuerit, atque unice Eum viderit γυνή πάροιστρος, καὶ εἴ τις ἄλλος τῶν ἐκ τῆς αὐτῆς γοητείας, ἦτοι κατὰ τινα διάθεσιν ὀνειρώξας, κτλ. (¹). Quum vero aliorum religionis Christianae adversariorum scripta perierint temporum injuria, nescimus quid caeteri objecerint. Ex CYRILLI autem *Alexandrini* contra JULIANUM scripto constare videtur, Imperatorem in ea fuisse sententia, ut statueret Apostolos, magicis artibus usos, de mortuo in vitam revocato et a se conspecto sibi persuasisse (²). Hac dubitatione obsoleta satisque refutata denuo usi sunt recentiores, quorum multi rem nostram adorti sunt, sive universe Christianam religionem oppugnantes, sive resurrectionem CHRISTI negantes, Deistae Angli. *Resurrectionis CHRISTI* adversarios cum unice spectemus, videamus de iis, qui exstiterunt saec. XVIII: TH. WOOLSTON, in *Disc. on the Miracles of our Saviour*, sermone 6º; TH. CHUBB, in primis in *Operis: Posthumous Works*, vol. I; TH. MORGAN, in libro: *The Resurrection of Jesus considered*, Lond. 1743; prae caeteris vero auctor libri: *The Resurrection of Jesus considered, in answer to the Tryal of the Witnesses, by a Moral Philosopher*, Lond. 1744. Hic acerbe pugnam animadvertit inter Evangelistarum de JESU in vitam revocato narrationes, quae eum impediunt, quominus fidem iis habeat; monet porro neque JESUM praedixisse suum

(¹) Cf. ORIGENES, *contra CELSUM*, libro II, passim.

(²) *Contra JULIANUM*, X, pag. 340. Lips. 1696.

in vitam reditum, neque militum custodiam sepulcro appositam fuisse, atque argumentum sibi, ut putat, favens ex eo petit, quod JESUS se Judaeis conspiciendum non praeberit. His argumentis ante eum alii jam usi erant <sup>(1)</sup>, fraudique, quaecunque de JESU in vitam reditu traduntur, tribuerant. — Peculiarem hac de re sententiam proposuit D. HUME, in scripto: *Enquiry concerning human understanding*; scilicet fuisse Apostolos enthusiastas, qui JESUM in vitam rediisse opinati, doctrinam illam optimo consilio aliis annunciarint. Ut sententiam confirmet, atque ostendat, quomodo tot hominum millia fidem habuerint JESU e mortuis resuscitati fabulae, mentionem facit ALEXANDRI, de quo narrat LUCIANUS <sup>(2)</sup>, qui variis modis Paphlagonem decepit, quae comparatio, instituta inter JESU discipulos et ALEXANDRUM, neque rem explicat, neque illis honorifica est. Caeterum totam de miraculis doctrinam ex ipsius religionis indole ortam dicit, fidemque perire rationis humanae, si illa, religio, vim habere incipit.

Anglis assensit in Germania J. C. EDELMANN († 1767), qui praesertim *ἐναντιοφανείας* caeterasque difficultates ita urget, ut rem nostram fictitiam dicat, in primis

---

<sup>(1)</sup> Singulorum dubia exposuit LILIENTHAL, *Oordeelkundige Bijbeelkларing*, XI, passim. HAMELSVELD, *Bijbel verd.* VI, p. 9 sqq. passim. De libro: *the Resurr.* etc. cf. LELAND, *Schriften der Deisten*, I, p. 302 sqq.

<sup>(2)</sup> Hujus fraudulentum hominis vitam conscripsit LUCIANUS, in narratione, cui titulus *Ἀλεξάνδρος ἡ ψευδομάρτυς*.

in libro: *Abgenöthigter Glaubensbekenntniss*; praeterea, qui tela sua in religionem Christianam conjecerunt, veritatem historicam resurrectionis infitiatos esse, atque fraudi originem suam debere hanc narrationem dixisse, non est, quod moneamus.

Omnium autem hujus generis acerrimus jure habetur anonymus ille <sup>(1)</sup>, qui fragmentum scripsit *über die Auferstehungsgeschichte*, (quod edidit G. E. LESSING, in *Beiträge zur Geschichte u. Litteratur, aus den Schätzen der Wolfenb. Bibl.* 4<sup>er</sup> Beitr. a<sup>o</sup>. 1777, fragm. 5<sup>um</sup>). Acute et dilucide hic omnia dubia expo-

---

(<sup>1</sup>) Fragmentista *Guelpherbytanus* quisnam fuerit, si quaeras, vulgo respondent, fuisse H. S. REIMARUM († 1763), quod diu Viris Doctis verosimile visum est, quodque e. g. THOLUCK, *Verm. Schrift.* II, 22 (nota) confirmat: »jetzt ist die Frage in Betreff des Verf.« (Fragm. Guelph.) »auch durch das eigene Geständniss desselben auf dem »Sterbebette als entschieden anzusehen; es ist SAM. REIMARUS.« Cf. quae monet V. Cl. in libro: *Glaubwürdigkeit d. Ev. Gesch.* p. 34 sq. Illum autem auctorem fuisse non verosimile, imo negandum fere esse censuit C. F. ILLGEN: *Ein Beitrag zur Geschichte der Wolfenb. Fragmente* (in *Zeitschrift für die hist. Theol.* ab ipso edito, 1839, IV, 99 sqq.) ubi brevem tradit conspectum operis: A. THAER, *Sein Leben und Wirken u. s. w. von W. KÖRTE*, 1839, cui adjecit animadversiones quasdam, ut pateret ex variorum testimoniis, in primis J. A. H. REIMARI, filii († 1814), contrarium testantibus, atque ex tota REIMARI, patris, indole cogitandique et agendi ratione, minime verosimile esse, eum fuisse Fragmentistam *Guelpherbytanum*. Conferri tamen meretur G. KRÜGER, in *Allg. Kirchenzeit.* 1840, No. 39, p. 316 sqq. qui ILLGENO non assensit.

nit, quae antea jam mota fuerant, at plerumque irrisione ludit, quae sancta habentur, neque placide in rei veritatem inquirat. Fabulam dicit et militum custodiae narrationem, et JESU in vitam reditum, tum quia Evangelistarum narrationes inter se pugnant, quod ostendere conatus est decem animadversionibus, tum quia Judaeis non apparuit resuscitatus, sed unice cum amicis versatus est; itaque a discipulis cadaver furtim sublatum esse opinatur. Ultimum hocce ab eo dictum esse negavit quidem LESSING <sup>(1)</sup>, at vero ipsius Fragmentistae verba satis ostendunt, hoc eum cogitasse et statuuisse.

---

(1) *Sämmtl. Schriften*, Voss. Berolini, 1818, VI, 219. » *Es ist nicht wahr, dass mein Ungenannter schlechthin sagt: » Christos ist nicht auferstanden, sondern seine Jünger haben seinen Leichnam gestohlen.*» Er hat die Apostel dieses Diebstahls weder überwiesen, noch überwiesen wollen.» At ipsum audiamus: *Fragmente und Antifragmente*, 1788, ed. DOEDERLEIN, I, p. 132. » *Demnach ist es,* sunt verba Fragmentistae, » *nach dem eigenen Berichte der Evangelisten ganz wohl möglich gewesen, dass die Jünger Jesu dessen Leichnam in der Nacht heimlich aus dem Grabe anderswo hinbrächten,*» et postquam omnem de militibus, sepulcrum custodientibus, narrationem dixerat fictitiam, inferius pergit, *ibid.* p. 149. » *es bleibt allerwege möglich, und bei aller Betrachtung der Sache höchst wahrscheinlich, dass die Jünger des Nachts zum Grabe gekommen, den Körper gestohlen, und darnach gesagt, Jesus sey auferstanden.*» Equidem statuo, LESSINGII verba: » *Es ist nicht wahr, das mein Ungenannter schlechthin sagt*» u. s. w. egregie ipsius Fragmentistae verbis refutari, nec qui LESSINGIUS haec scripserit intelligo.

De Franco-Gallis leviter de re nostra locutis, nihilque novi proferentibus, non est quod dicamus, neque de commentis libri, cui titulus: *Horus, oder Astrognostisches Endurtheil* etc. cujus scriptor fuit C. E. WÜNSCH, qui statuit, discipulos JESU, postquam in animi deliquium, ex cruce pendens, incidisset, opinatos fuisse JESUM esse *Horum* (ex Theologia Aegyptiorum), qui revera miracula fecerit, e mortuis resurrexerit et ad coelestes sedes escenderit. Unice commemorare liceat librum, quem conscripsit Anglus mercator HENNELL, quemque in Germanicam linguam transtulit STRAUSS, inscriptum: *HENNELL'S Untersuchung über den Ursprung des Christenthums. Aus d. Engl. eingeführt von Dr. D. F. STRAUSS, Stuttg. 1840*, qui tamen nihil novi attulit.

His potissimum, de quibus vidimus, argumentis usi veritatem negarunt historicam resurrectionis JESU CHRISTI, et de fraude cogitarunt discipulorum. Fuerunt autem praeterea quam plurimi, qui JESUM in vitam rediisse negarent, attamen fraudis discipulos minime accusarent, verum mente anteceptis opinionibus ducti vario modo rem nostram exponerent. Horum, e. g. *Sadducaeorum* objectio erat »μή εἶναι ἀνάστασιν» (1), cui consequens erat, negare CHRISTI resurrectionem, quod monet PAULUS in Epistola ad ecclesiam Corinthiacam, cujus socii nonnulli dicebant, »οὐκ ἔστιν» (2). Hi de furibus Apostolis aut de fraude

---

(1) Act. Ap. XXIII: 8.

(2) 1 Cor. XV: 12, 13.

non cogitarunt; at exstiterunt alii, qui fidei tamen historicae JESU resurrectionis detraxerunt.

Quid enim dicemus de DOSITHEO, SATURNINO, CERDONE, MARCIONE, aliisque hos sectatis *Gnosticos*, qui mortem et resurrectionem CHRISTI imaginariam dixerunt, et putativam, symbolicam tantum significationem iis tribuentes; »resurrectioni, sicut omnibus CHRISTI »actionibus sub sensus cadentibus, veritatem objectivam »abjudicarunt, eamque tali ratione factam esse dixerunt, qua dici posset vere non facta" (1); quid de *Docetis*, qui specie tantum et ἐν φαντάσματι apparuisse, atque sic mortuum etiam esse et resuscitatum Sospitatorem dixerunt, uti et de iis, qui aethereo et subtili corpore indutum fuisse CHRISTUM existimarunt, quod legibus naturae non obediens, mortem non subire neque igitur e mortuis resuscitari posset, ut *Valentiniani*, *BARDESANES*, aliique? Quid existimandum de plurimis *Monophysitis*, phantasticam JESU vitam dicentibus post reditum in vitam, et de *Manichaeis*, qui φαντασιώδη καὶ οὐκ ἀληθῆ τοῦ Σωτῆρος τὴν ἀνάστασιν γεγονέναι putarunt (cf. CYRILL. *Hier. Cat.* XIV.). Statuerat adeo CERINTHUS antea, teste IRENAEO (*adv. Haer.* I, 26), »CHRISTUM in fine revolasse iterum de JESU, et JESUM »passum esse et surrexisse; CHRISTUM autem impassi-

---

(1) Verba sunt C. L. MÜLLERI, in *Diss. de resurrectione JESU CHRISTI, vita eam excipiente et ascensu in coelum, sententiae, quae in Eccl. Chr. ad finem usque Saeculi VI vigerunt*, 1836, p. 66, qui Patrum doctrinam et Haereticorum placita ibidem exponit.

»bilem perseverasse, existentem spiritualem,” et EPIPHANIO auctore φάσκει (CERINTHUS) Χριστὸν πεπονηθέναι καὶ ἐστανρώσθαι, μήπω δὲ ἐγγεῖρθαι (*adv. Haer.* 28). Quae ejus sententia explicanda est tum ex illius sectae doctrina, materiae mali originem tribuentis, atque humanum corpus Messiae adscribere non ausae, tum ex doctrina de dignitate Messiae; de eo enim statuerunt, cum vero homine JESU, in baptismo JOHANNIS, aeonem se conjunxisse CHRISTUM, quo factum, ut in JESU CHRISTO duae conjunctae personae unum Messiam efficerent. Hunc autem aeonem una cum homine passum et mortuum esse negarunt, at potius ab eo secessisse, ita quidem, ut solus homo resuscitatus non is esset, cui Messiae dignitas tribuenda fuisset. Sic quoque *Ophitae*, monente IRENAEO (*adv. Haer.* I: 30), docuerunt a JESU moriente »ipsum quidem CHRISTUM cum Sophia abstissime in incorruptibilem aeonem — JESUM autem cruci affixum; — non autem oblitum suum CHRISTUM, sed »misisse desuper virtutem quandam in eum, quae »citavit eum in corpore.” Hos omnes negasse censemus JESU e mortuis in vitam reditum, corpore vere induti, quotquot statuerent, personam CHRISTI morientis mutationem subiisse, aut Ejus corpus minime morti traditum fuisse, quibus annumerentur quoque, qui aethereum et spirituale corpus tribuerent CHRISTO redivivo. Nam vidit hoc jam TERTULLIANUS (*adv. Marc.* III: 8): »negata morte, dum caro negatur, nec de resurrectione »constabit,” et AUGUSTINUS (*Serm.* 238 in pasch.). »Tollite” inquit »veram carnem, non erit vera passio,

» non erit vera resurrectio,» et CYRILLUS (*Catech. XIII: 37*) »εἰ φαντασία ὁ σταυρὸς, φαντασία καὶ ἡ ἀνάστασις.»

Quid? quod BASILIDIS nonnulli asseclae statuerunt, Christum non mortuum esse, verum loco illius ad crucem actum dixerunt SIMONEM *Cyrenaeum*.

Caeteros de persona et corpore CHRISTI errores, veritatem resurrectionis penitus auferentes, jam mittimus, neque ad *Priscillianistas* <sup>(1)</sup> aut *Paulicianos* <sup>(2)</sup> attendimus, neque ad MOHAMMEDIS fabulam (*Sur. IV: 156*), statuentis, Judaeos CHRISTUM cruci non affixisse, ipsos scilicet deceptos ejus similitudine, illumque non mortuum fuisse, sed a Deo in coelum sublatum esse; at de hoc ipso inter V. V. D. D. dubitatur, quia ipse MOHAMMEDES hac in re narranda sibi non constitit.

Recentiori aevo multi philosophis se duci opinionibus passi, praesertim miraculis fidem denegantes, exstiterunt rei nostrae adversarii, quorum hîc commemoramus B. SPINOSAM, quem in *Ep. XXIII* ad H. OLDENBURGIUM (coll. *Ep. XXV*) loquentem ita audimus: » Concludo » itaque CHRISTI a mortuis resurrectionem revera spiri- » ritualem, et solis fidelibus ad eorum captum revelatam » fuisse, nempe quod CHRISTUS aeternitate donatus fuit, » et a mortuis (mortuos hîc intelligo eo sensu, quo » CHRISTUS dixit: sinite mortuos sepelire mortuos suos)

---

(1) LEO M. *Serm. 41, 5. Ep. 15, ad Turrib. 4.*

(2) Cf. NEANDER, *Gesch. der Chr. Kirche*, III, p. 528.

(3) Cf. e. g. H. GROTIUS *de ver. Rel. Chr. ed. J. C. KOECHERUS*, p. 371, hujusque annot. p. 504 sqq.



»surrexit, simulatque vita et morte singularis sancti-  
»tatis exemplum dedit, et eatenus discipulos suos a  
»mortuis suscitavit, quatenus ipsi hoc vitae ejus et mor-  
»tis exemplum sequuntur.” Concedit quidem, Aposto-  
los omnino JESU in vitam reditûs veritatis convictos  
fuisse, negat vero eos vidisse redivivum, quod tamen  
illi putabant. Prouti hic significationem tantum spiri-  
tualem tribuit JESU in vitam reditûs narrationibus, ita ut  
in eo, tanquam in speculo, videant homines emendationis  
moralis necessitatem, sic symbolicam J. S. SEMLER, in  
*Beantwortung d. Fragm. eines Ungen.* 1780, qui  
hanc historiam statuit minus pertinere ad mundum  
*physicum*, quam ad mundum *moralem*, atque JESU,  
ab inimicis mortis supplicio traditi, reditum in vitam  
sub imagine proponere Ejus doctrinae annunciationem  
atque propagationem, quibus revera e mortuis resur-  
rexisset dici possit.

Aliam viam ingressus est J. A. EBERHARD, qui in ope-  
ris *Der Geist des Urchristenthums*, 1807 sq. Tomo  
III. statuit, ex conjuncto humanitatis cultu Orientalium  
et Occidentalium, e philosophia Alexandrino-Cabbalisticâ,  
tamquam ex fonte, fluxisse eam religionis doctrinam,  
quam JESUS Ejusque Apostoli humano generi tradiderunt,  
quaeque N. T. libris continetur. Provocat ad  
PLATONIS de ideis, et ad Cabbalistarum »*res suas sacras*  
»*in coelo esse*” docentium opinionem, atque his originem  
debere putat, quae in CHRISTI vita fatisque, illis  
similia, invenisse sibi visus est. Haec ejus sententia eo  
valet, »ut JESUS, qui in N. T. dicitur *e sepulcro exiisse*,

»*coelum intravisse, et in coelo esse, non unus idem-*  
»*que sit, atque ille, qui in his terris vixit ac diem*  
»*obiit, cum ille sit πρότυπος, hic autem αντίτυπος,*  
»*atque propterea alter ab altero diversus sit.*» Nam-  
que ipse, »Tom. III: 119. sq. doctrinam de JESU  
»in vitam reduce, ejusque occupatione sedis coelestis,  
»non de *Phaenomeno* illo (ut appellat), quod in his  
»terris apparuerit, interpretandam esse existimat, sed  
»de ejus πρότυπω et *idea coelesti*, quae, quamvis sem-  
»per in coelo fuerit, *figurate* tamen et *improprie* a  
»scriptoribus N. T. e sepulero evasisse, in coelum ad-  
»scendisse, et ad Dei dextram sedere dicatur (1).» Ita-  
que hic Evangelistarum de JESU redivivo narrationes  
poesin et allegoriam habuit, prouti G. K. HORST (2)  
quoque sacram fabulam et phantasiae poesin in Evan-  
geliis universe, atque in eorum de JESU resuscitato nar-  
rationibus praesertim, invenit.

---

(1) Sunt verba Cl. BORGERI, in opere infra laudando, p. 62. Qui  
ipsum EBERHARDUM audire velit, audiat eum l. l. dicentem: »*Nach*  
»*der allgemein verbreiteten Idee, dass alle Dinge auf der Erde ihr*  
»*Urbild im Himmel haben, — musste Jesus als das Ebenbild des*  
»*übersinnlichen Messias — sich der Erde entziehen, und nach sei-*  
»*nem verschwinden von der Erde nur in der übersinnlichen Welt*  
»*zu finden seyn; er musste auferstehen, gen Himmel fahren, und*  
»*zur Rechten Gottes sitzen. Diese Idee ist es, welche die Geschicht-*  
»*schreiber Jesu in ihre Evangelien nach der Weise und dem Glau-*  
»*ben ihrer Zeit historisch ausgebildet haben, und der nach ihnen*  
»*ein Theil des christlichen Lehrbegriffs geworden ist.*»

(2) Laudatus a STRAUSSIO *Leb. Jesu*, ed. 3, II, p. 753 sq.

His assentiens, mythum historico-poeticum rem nostram dixit G. P. C. KAISER. (*Bibl. Theol.* I: 253, seqq.); uti et J. F. DES CÔTES in libro: *die Geschichte u. Lehre von den Erscheinungen Jesu nach seinem Tode*, 1809, qui Sospitatoris resurrectionem interpretatus est de Ejus vita apud Patrem aeterna, apparitiones vero de peculiari ac mirifica ratione, qua in discipulos operatus sit Spiritus defuncti.

Veritati historicae JESU in vitam reditûs vehementer detraxerunt nostrae aetatis philosophi. Quod si HEGELIUM audis, »*Die Auferstehung*» inquit (*Vorles. üb d. Phil. d. Religion*, II. 250) »*gehört wesentlich dem Glauben an. Christus ist nach seiner Auferstehung nur seinen Freunden erschienen; dies ist nicht äusserliche Geschichte für den Unglauben, sondern nur für den Glauben ist diese Erscheinung.*» Quam rei nostrae interpretationem symbolicam clarius exposuit hujus philosophi sectator inter Theologos PH. MARHEINECKE, qui (in libro: *die Grundlehren der Christl. Dogm.* 2<sup>te</sup> Aufl. 1827. § 350) »*Die durch den Tod aufgehobene,*» inquit »*der Welt noch unmittelbare Gegenwart des mit dem göttlichen identischen menschlichen Geistes in seiner Erscheinung und Individualität ist seine Befreiung von dieser und sein Auferstehen als Geist.*» Hanc igitur τοῦ Θεανθρώπου resurrectionis dicit veritatem, notionem, (*Wahrheit, Begriff*) »*dass es nicht der göttliche Geist an sich oder in seiner Abstraction, sondern er in seiner menschlichen Natur ist, der befreiet von ihrer*

» *Individualität, als der allgemeine Mensch, in dem*  
» *Selbstbewustseyn der Gemeinde aufersteht* (1).” Ex  
his jam patet, qua ratione historiâ, involucri ad instar  
idearum, utatur recentissima Philosophia speculativa,  
fidem illius, res in facto positas tradentis, haud parum  
labefactans, et quomodo, ad sacrae Scripturae loquendi  
usum se accommodans, symbolice fere omnia interpre-  
tetur.

Ex eadem schola profectus K. ROSENKRANZ, alia fere  
ratione, de re nostra judicavit, ubi in *Encyclop. der*  
*theol. Wissensch.* 1831, p. 148, statuit, mortuum  
CHRISTUM non amplius sensibus videri aut audiri ab  
aliis potuisse, » *denn mit dem Tode war die sinnliche*  
» *Existenz des mit Gott einigen Lebens verschwun-*  
» *den. Statt der sinnlichen Gewissheit vom Gott-*  
» *menschen trat nun die Erinnerung von ihm ein,*  
» *in welcher er seinem Wesen nach, frei von aller*  
» *Zufälligkeit des Aeusseren, geistig auferstand.*”

Illi alique, sive symbolice seu aliter JESU reditum in  
vitam interpretati sint, vel sic tamen de industria in  
rei nostrae historicam veritatem non inquisiverunt, sed  
simpliciter eam ideae formam, nec praeterea quicquam  
aliud esse ponunt. Ab illis jam recedunt acerrimi duo  
JESU resurrectionis, qualem nos eam tuemur, adversa-

---

(1) Hanc petimus veniam, ut, variorum opiniones et sententias  
referentibus, liceat nobis ipsorum auctorum verbis uti, quo perspicua-  
cius, quid ipsi velint, appareat, et ut ne vim eorum verbis inferre  
videamur. In posterum saepius hoc nobis magno usui erit.

rii, qui in illa oppugnanda et argumentis conferendis, quibus eam facilius negarent, multum operae posuerunt. Horum alter est D. F. STRAUSS, qui in opere famoso, *Das Leben JESU*, totam nostram historiam mythis annumeravit, atque contra ejus fidem historicam omnia fere dubia movit, quae antecedentibus saeculis Ethnici, Deistae, alii excogitaverant. Ea exponere non hujus loci est, quia in ipsa disquisitione nostra de singulis, quibus usus est argumentis, videndum est. Quaerenti autem, quid de hujus narrationis sensu et significatione sentiat STRAUSS, respondet: »naturae divinae atque humanae conjunctio perfecta non cernitur in JESU CHRISTI »persona, quandoquidem non hic modus est, »wie die »Idee sich realisirt, in Ein Exemplar ihre ganze »Fülle auszuschütten, und gegen alle andern zu »geizen; contra, non JESUM, verum die ganze Menschheit als ihre Verwirklichung sibi proponit, atque »ita totum genus humanum mori, resurgere et in coelum ascendere dici potest, quatenus sensim sensimque unum fit cum spiritu coelesti infinito; »sie" (die Menschheit) »ist der sterbende, auferstehende und »gen Himmel fahrende" (menschgewordene Gott — die Menschheit), »sofern ihr aus der Negation ihrer »Natürlichkeit immer höheres geistiges Leben, aus »der Aufhebung ihrer Endlichkeit als persönlichen, »nationalen und weltlichen Geistes ihre Einigkeit mit »dem unendlichen Geiste des Himmels hervorgeht" (1).

---

(1) Cf. l. l. ed. 3, II, p. 766 sqq. JESU in vitam reditus » kann

Sic unusquisque videt, recte et summo jure eum affirmare: » *Durch dieses Hinausgehen über die sinnliche Geschichte zur absoluten wird jene als das Wesen-tliche aufgehoben,*” etc. et, licet e schola Hegeliana haec eum accepisse negent, vel sic tamen ejus proles non immerito haberi posse videtur.

C. H. WEISSE horum duumvirorum alter est, qui in opere: *Die Evangelische Geschichte*, 1838, vere mortuum fuisse JESUM concedit, et clam e sepulcro subductum negat, neque tamen corpus resuscitatum esse, cum resurgeret JESUS, putat; audiamus enim, qualem intelligat resurrectionem. Reditus JESU in vitam » *ist nicht das Hervorgehen des Leibes aus dem Grabe, sondern die Erhebung der Seele CHRISTI aus dem Hades, der die Seelen der abgeschiedenen Sterblichen aufnimmt, in dem Himmel und an die Rechte Gottes* (1).” Unam eandemque dicens e mortuis resuscitationem atque in coelum ascensionem, historiam nostram symbolice, ad philosophiae suae speculativae normam, interpretatur, quae ne a nobis abrupta videatur, hinc primum ejus opinionem commemoremus, de conjunctione, quae intercedit inter τὸν Λόγον (hunc autem Hellenistica philosophia atque adeo ipse JOHANNES Apostolus » *durchaus ein innerwelliches Prin-*

---

» *einen religiösen Werth nur durch symbolische Deutung gewinnen.*”  
Ita in disp. *Ueber Vergängliches und Bleibendes im Christenth.* in  
*zwei friedliche Blätter*, p. 131.

(1) II, p. 379.

cip" dixisse atque habuisse, WEISSIO videntur) atque CHRISTUM, de quo historia docet; quae non *immediata* dicenda est ex WEISSII sententia, sed »*vielmehr eine*  
»*durch den weltgeschichtlichen Process der Heraus-*  
»*arbeitung des der Menschheit eingeborenen Logos*  
»*zur persönlichen Gestalt eines wirklichen Men-*  
»*schen, eines geschichtlichen Individuums, vermittel-*  
»*te;*," sic quoque antea voci »*Menschensohn*" hanc a JESU fuisse datam significationem statuit: »*das sein*  
»*Göttliches Selbst nicht von aussen in die Welt hin-*  
»*eingekommen, sondern aus dem Geiste der Welt*  
»*und der Menschheit durch inwohnende Entwickel-*  
»*lung und Selbstentfaltung herausgeboren ist.*" Haec praemonenda duximus, ut rite intelligantur, quae monet de CHRISTI in vitam reditûs, ab Evangelistis traditi, significatione: »*Dieses zweite göttliche Selbst,*  
»*der ewige Sohn oder Logos geht, indem er in die*  
»*Welt eingeht, zunächst nothwendig darin unter;*  
»*er stirbt, dass heisst die Gestalt der Persönlich-*  
»*keit, in welcher er von Ewigkeit her beim Vater*  
»*ist, wird an ihm negirt und in die unpersönliche*  
»*Allgemeinheit oder Potentialität, aus welcher her-*  
»*aus sich die unendliche Vielheit und Mannichfal-*  
»*tigkeit der Creaturen erzeugen soll, aufgehoben.*  
»*Aber aus dieser Gestalt der Entfremdung sei-*  
»*ner selbst taucht er im Laufe der Zeit und im*  
»*Fortgange der Entwicklung des Weltwesens*  
»*wieder auf zur geistigen Selbstheit und Persön-*  
»*lichkeit, und feiert solcher Gestalt seine Auferste-*

»*hung* (1).” Certe si quae alia, haec mihi videntur *δυσνόητά τινα*, et quum in hisce plura sacrae Scripturae obtrusa existimem, nequaquam cum ea congruentia, ei talia inesse concedere coactus sum, ἃ οἱ ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι στρεβλοῦσιν. Sensim paulatimque eo usque progressos videmus philosophos, ut historiam suâ construant philosophiâ, antequam *illam* vel cognitam habeant vel indagaverint ipsi.

Tandem, quicumque praecedente saeculo, hujusque initio ad nostram usque aetatem, Deistarum vel Rationalismi, praesertim vulgaris, placitis faverent, quorum numerus satis magnus est, negasse censendi sunt JESU resurrectionis veritatem historicam, quibus, quod ad rei summam attinet, alii multi assenserunt. Quum vero non de industria de re nostra egerint, vel nova protulerint argumenta, eos silentio jam praetermittimus.

II. Vere mortuum fuisse JESUM, quum sepeliretur, negarunt nonnulli, quos rei nostrae adversarios diximus, quandoquidem nobiscum facere minime possunt, ubi nos de JESU *e mortuis* in vitam reditu loquimur; atque ille, qui post crucis supplicium per tempus aliquod inter amicos vitam degerit, quam mors nondum exceperat, tandem certo in sepulcro finem invenerit necesse est vitae, quam resurrectio e mortuis non subsequitur.

Praecedente saeculo, cum omnes vires intenderet Christianorum ἀπιστία, ut CHRISTI reditûs in vitam vim et significationem infringerent, et Christianam religionem

---

(1) Cf. l. l. p. 519—526.



labefactarent, exstiterunt, qui mortem synopticam excogitarunt. Statuit C. F. BAHRDT, v. *Zwecke JESU*, X: 174, sqq., Sospitorem, ad crucem actum, se mortuum fuisse simulasse, ut mox amicorum ope et auxilio usus, sanatus, Judaeis videretur e morte resuscitatus. Cui adstipulatus est C. VENTURINI: *JESUS der Auferstandene. Nachtrag zur natürl. Gesch.* etc. 1802; quam mortis simulatae fraudem non ipsi JESU, verum discipulis, tribuit alius *anonymus* scriptor disquisitionis: JOSEPH und NIKODEMUS (1), quos cum illis consensisse statuit.

In suos usus hoc de simulata morte figmentum converterunt recentiores Rationalistae, qui de animi deliquio cogitare malunt. Sic unus in paucis eorum celeberrimus H. E. G. PAULUS, omni fraudis, sive JESU seu discipulorum, suspicione remotâ, statuit, de vera morte JESU constitisse apud omnes, qui ei adstiterint; attamen negando respondendum esse putat ad quaestionem: »*Musste denn dieser Leib, damals, als JESUS das Haupt neigte und zu athmen aufhörte, auch in seinen innersten Lebenskräften todt seyn* (2)?» Et enim in sepulcro paulatim corpus sanatum, non vero Dei omnipotentia e morte resuscitatum fuisse, existimat, quod, ut probet, fieri potuisse, provocat (3) e. g. ad aërem antri calidiorem, unguentorumque in eo effectum saluberrimum aegrotanti et vulnerato, atque exemplum affert

---

(1) Cf. STRAUSS, *Leb. Jesu*, II, 631.

(2) *Leb. Jesu*, II, p. 231.

(3) *Exeg. Handbuch*, III, 785 sqq.

notissimum, a FLAVIO JOSEPHO <sup>(1)</sup> traditum. Illi fere assensisse videtur J. V. HENNEBERG, *Comment. üb. d. Gesch. d. Begräbniss, d. Auferstehung*, etc. 1826, et, ne de aliis dicam, J. A. L. WEGSCHEIDER, qui, *Inst. Theol. Dogm. Chr.*, § 131. »Omnino» inquit, »omnis hujus quaestionis» (de JESU in vitam reditu) »cardo in eo vertitur, ut res ipsa in facto posita et ratio eam judicandi »atque enarrandi a testibus inita recte discernatur. Quo »facto species quidem *mythica* et *miraculosa* hujus »eventus, minime vero eventus ipse tollitur;» atque inferius hanc rem in facto positam dicit, »quam pauci tantum testes cognoverunt, miraculique specie pro »aetatis incultioris ingenio olim induerunt <sup>(2)</sup>.»

Hi fere sunt, qui de JESU e morte in vitam reditu *dubitarunt*, adversarii. Nil sane omiserunt, quod aliquatenus iis favere videretur. Verum acriter quoque rem nostram *tuiti sunt* alii quam plurimi, de quibus jam breviter disserendum est.

## § 2.

### *Rei nostrae propugnatores.*

Apostoli ut hanc, quam publice annunciarunt, JESU resuscitationem probarent, provocarunt *ium* ad Prophetarum vaticinia (Act. II, XIII, al.), *tum* ad eos, quibus JESUS se conspiciendum praebuit (Act. X: 40, 41; 1 Cor. XV: 3—8). At multis eam defendere, necesse non fuit. Res

---

<sup>(1)</sup> *Vita* JOSEPHI, c. 75. Cf. STRAUSS, *Leb. Jesu*, II, p. 679 sqq.

<sup>(2)</sup> Pag. 474.

enim erat, in quam ipsi inquirere possent Judaei, quod et PAULUS Apostolus, Caesarariae verba faciens coram FESTO et HERODE AGRIPPA II (Act. Ap. XXVI) de JESU in vitam reditu, animadvertit, provocans ad ipsum regem AGRIPPAM, ut ad FESTI responderet criminationem, eum *μαίνεσθαι*, dicentis: *ἐπίσταται γάρ*, inquit, *περὶ τούτων ὁ βασιλεὺς* — *οὐ γάρ ἐστὶν ἐν γωνίᾳ πεπραγμένον τοῦτο* (v. 26). Mirum nonnullis visum est, quod Apostoli, quoad nos quidem scimus, numquam rationem habuerint fabulae, a Judaeorum proceribus excogitatae, de cadavere furtim sublato; at verosimile esse censemus, numquam hoc crimen iis objecisse Senatam caeterosve Judaeos. Ubi enim PETRUS, quod ex Act. Apost. videre licet, publice professus est, e sepulcro rediviſum prodiisse JESUM, tacent inimici, aut carceris ope eos silere jubent.

Prae caeteris autem postea rem nostram tuitus est ORIGENES *contra CELSUM*, huic respondens; nam libro II refutat objectionem, *ὡς ἀδυνάτου ὄντος τοῦ ἀνίστασθαι τινα ἐκ νεκρῶν αὐτῷ σώματι*, provocans tum ad miracula, ab ELIA et ELISA patrata, ubi mortuum in vitam revocavit ille viduae *Sareptae* (1 Reg. XVII: 22), hic *Sunamiticae* filium (2 Reg. IV: 34), tum ad vaticinium Ps. XVI: 9, 10. — Ad difficultatem a CELSO motam, ductam illam ex eo, quod Judaeis non apparuerit JESUS, respondet: *ἐφείδετο γὰρ καὶ τοῦ καταδικάσαντος καὶ τῶν ἐπηρεασάντων ὁ Ἰησοῦς, ἵνα μὴ παραχθῶσιν ἀορασία, ὅποια οἱ ἐν Σοδομοῖς ἐπατάχθησαν* (Gen. XIX: 11), atque unice oculis usurpandum se dedisse JESUM dicit *ἐκαστῷ τῶν δυναμένων αὐτήν (τὴν δύναμιν ἑαυτοῦ) ἰδεῖν*,

καὶ κατὰ τὸ μέτρον — ἃ ἐχώρει, neque aliam ob causam Eum caeteris non apparuisse, quam διὰ τὰς δυνάμεις τῶν μὴ χωροῦντων αὐτὸν ἰδεῖν, quibus mox addit, missum fuisse CHRISTUM οὐ μόνον ἵνα γνωθῆ, ἀλλ' ἵνα καὶ λάθῃ. Pluribus tandem ostendit, JESUM non tantum mulieri, uti CELSUS (vel quem loquentem ille induxerat Judaeus) dixerat, sed discipulis quoque apparuisse, Evangelistarum narrationes tuens. Libro V angelorum numerum, ab Evangelistis diverse traditum, in concordiam redigit, quum CELSUM repugnantia illa offendisset.

Passim de re nostra egerunt Apologetae antiquiores. Homiliis et Harmoniis inter se convenire Evangelistas probarunt alii; alii vero silentio JESU resurrectionem praeterierunt, quum nova dubia non moverentur. Negandum non est, egregie rei nostrae inserviisse atque profuisse eorum studia, qui praesertim gentilibus probare sibi proposuissent corporis sive carnis resurrectionem, qua disputatione quodammodo CHRISTI quoque in vitam reditum confirmasse censendi sunt. Nihilominus tamen miramur, eos numquam fere provocasse ad ipsam JESU resuscitationem, qua, re in facto posita, ad PAULI Apostoli exemplum, multum contulissent ad comprobandum, quod probare voluerunt. Sic v. c. THEOPHILUS *Antioch.* in Libro I, *ad Autolycom*, 13<sup>(1)</sup>: ἀλλὰ καὶ τὸ ἀρνεῖσθαι σε νεκροῦς ἐγείρεσθαι· φῆς γάρ, δεῖξόν μοι κἄν ἕνα ἐγεγθέντα ἐκ νεκρῶν. Jam non de JESU CHRISTO redivivo sermo est, sed provocat ad τὴν

(1) In JUSTINI M. *Opp.* Paris 1742, pag. 345.

τῶν καιρῶν καὶ ἡμερῶν καὶ νυκτῶν τελευτήν, ad semina et fructus germinantes, ad arbores, ad lunam etc. quae, tamquam in speculo, resurrectionis imaginem ostendant. Sic quoque ATHENAGORAS περὶ ἀναστάσεως τῶν νεκρῶν (1) unice philosophi partes egit. Quod attinet ad *Docetarum*, *Gnosticorum*, aliorumque hujus generis haereticorum errores, illos strenue oppugnarunt celeberrimi illius aevi Ecclesiae Patres, doctrinaeque Christianae defensores, simul e societate sua eos excludentes. Quoad mihi vero innotuit, sequentibus saeculis nullus existit, qui in re nostra tuenda de industria operam posuerit.

At increcente hostium caterva, increvit quoque rei nostrae propugnatorum corona.

SPINOSAM refutavit J. COLERUS: *Vérité de la resurrection de JESUS CHRIST, défendue contre B. DE SPINOSA*, Hag. Com. 1706, quam disputationem vitae Ejus a se editae addidit. Item F. E. MEIS Dissertationem contra SPINOSAM edidit *de Resurrectione CHRISTI*, ad 1 Cor. XV: 17; 1711. Egregium usum praestitit opus Angli H. DITTON, *A Discourse concerning the Resurrection of J. c.*, Lond. 1712, quod in Gallorum linguam translatum est 1727, atque ex hac versione existit Belgica: *De Chr. godsd. betoogd door de opstanding van J. c.* 1779, — praefante P. NIEUWLAND. (prodierat ed. 1720 Mediob., 1733 Amstelod.) Prouti ipse fuit Professor Matheseos, ita quoque demonstrare

---

(1) Ibid. pag. 315 sqq.

potius, quam inquirendo probare solet, ut adeo in editione P. NIEUWLANDI, pag. 1—226 ostendat disquisitionis necessitatem etc. atque demonstrationis fundamenta, quibus praemonitis p. 227. sqq. demonstratur JESU resurrectionis veritas, atque capitis XI hic est titulus: *Alwaar de Opstanding van J. c. betoogd wordt, door toepassing der merkteekenen van de vereischte Blijkbaarheid op dit Bewijs, waardoor dit geschiedstuk word aangetoond.*

WOOLSTONUM deinde refutandum sibi sumsit T. SHERLOCK, in libro *The Tryal of the Witnesses of the Resurrection of JESUS*, 1729, quem Belgice vertit A. DE VRYER, *Pleidooi over de geloofwaerdigheid der Getuigen van de Opst. v. J. c. etc.* Delph. 1736, Amst. 1772, inter duos JCTos, quorum alter coram Judice WOOLSTONUM, Evangelistas alter defendit, atque illum hic profligasse a Praeside concluditur. Alium librum *The Resurrection etc.* 1744 refutavit S. CHANDLER, *the Witnesses of the Resurr. of JESUS reexamined*, Lond. 1744, atque praeter alios multos egregie rem nostram contra Deistas Anglos vindicarunt LILIENTHAL, HAMELSVELD, G. WEST, cujus liber Belgice editus est, praefante Cl. C. BOERS, *De gesch. — van de opst. van onzen Heere J. c.*, Traj. 1772, J. LELAND <sup>(1)</sup>, alii. Contra HUMIUM multa bonae frugis monuit J. F. PLESSING, *Die Auferstehungsgeschichte unsers Herrn J. c. II T. pass.*

---

(1) Loca supra laudata ex operibus LILIENTHALI et HAMELSVELDI, et LELANDI liber l. cff. passim.

In Germania EDELMANNO (1) respondit J. F. GUTSCHMID, *Wahrheit der Auferstehung J. C. wieder EDELMANN'S Angriffe vertheidigt*. Prae caeteris autem adversarios nactus est, quot alius numquam antea, Fragmentista *Guelpherbytanus*, cui in primis LESS, DOEDERLEIN, MICHAËLIS aliique se opposuerunt, laudati illi a BRETSCHNEIDERO (2), quibus addatur: *Historieele Beschouwing en Verdediging van J. C. Opstanding, (Symb. Altissimo annuente viribus meis)* Dordr. 1783.

In patria nostra EBERHARDI sententiam docte examinavit et refutavit Cl. BORGER, qui »tantam tamque »acrem esse pugnam,» inter doctrinam Chr. et Philosophiam Platonicam et Cabbalisticam, »ut quercus »facilius cerasa, quam Platónico-Cabbalistica philosophia »religionem Christianam gignere potuisse videatur» ostendit, atque ejus de JESU resurrectione sententiam toto coelo differre ab Evangelistarum usu loquendi probavit; numquam denique PAULI doctrinam de corporum in vitam restitutione intelligi posse statuit, nisi resurrectionis notio *proprie* sumatur. Prae caeteris hoc urget, quod, assumpta EBERHARDI sententia, »quidquid »de angelorum officio, de JESU cum amicis colloquiis, »narratur, id omne in commentorum numero esset »habendum;» nam *ornamenta orationis* illa dicere, quibus simplicem doctrinam de ideae Messiae in coelo

---

(1) Ei plura opposuit LILIENTHAL, l. l. III, 485 sqq. alibi T. XI.

(2) *Systematische Entwicklung* etc. p. 594 sq. De scriptoribus contra BAHRDTUM, ib. p. 279, contra HORUM, ib. p. 278.

aeternitate veluti vestire voluerunt, quod ille fecit, » quan-  
» tam monstri speciem habet, quod, cum illa ideae aeter-  
» nitas infinità fere colorum varietate veluti pingi posset,  
» omnes Evangelistae eam rem *eadem modo* exornant,  
» et tamen in minoris momenti rebus ita dissentiunt,  
» ut satis appareat, alterum ab altero pigmenta sua non  
» mutuatum fuisse, sed singulos suo ingenio scripsisse,  
» nec ad alterius exemplum orationem suam compo-  
» suisse.” Itaque, quae scripserunt, ipsi vera credide-  
runt, atque adeo minime, ut doctrinam Platonico-Cab-  
balisticam exornarent, addiderunt (1).

Ita multi refellerunt dubia, contra veritatem JESU resurrectionis historicam mota. Philosophorum interpretationes rei nostrae, licet ab aliis refutatae, non tanti nobis sunt momenti, quippe qui prae caeteris de fide historica, rei nostrae habenda, acturi sumus. Inter multos, qui STRAUSSIO se opposuerunt, resurrectionis quoque vindices, nullus fere exstitit, qui accurate ejus dubitationum gravitatem indagaret, earumque ratione habita rem nostram fusius exponeret. Excipiendi sunt F. L. GELPKE, *Das unhaltbare der Ansicht des L. JESU nach Dr. STRAUSS in Beziehung auf das Hauptmoment dieses Lebens*, 1836; J. E. OSIANDER, *Apologie des Lebens JESU*, p. 331—346, et C. ULLMANN (1), qui, licet Evangelistarum de JESU reditu in vitam nar-

---

(1) Cf. Ejus *Disputatio*, a Societ. *Teyleriana* praemio ornata, hujusque Opp. inserta, T. XXVI, pag. 63 sqq. coll. pag. 45 sqq.

(2) *Historisch oder Mythisch?* 1838.



rationes non exposuerit aut vindicaverit, tamen quam plurima monuit, ut hujus facti veritatem historicam, fidemque ei habendam, confirmaret ac tueretur. Hic referri quoque debet libellus, quem conscripsit F. KÜHN: *Wie ging CHRISTUS durch des Grabes Thür? Ein schrift- und zeitgemässes Zeugniß von dem Auferstandenen, mit Rücksicht auf die STRAUSS'sche Analyse.* Attamen magnam partem illius disputatio versatur in corporis redivivi natura indaganda, de qua inferius videbimus, et brevior est in adversario refutando, quam quidem rei gravitas id postulare videatur<sup>(1)</sup>. WEISSII commenta, an de industria quis refellerit, dubito.

Verene mortuus CHRISTUS est? Confirmarunt ac probarunt hoc quoque Viri Docti: THEOPH. RICHTER, C. F. F. GRUNER, V. H. VOGLER, aliique Medicinae operam navantes, quibus e nostratibus in primis addatur C. RENSING, *Med. Dr. Verhandeling betreffende — het Lijden, Sterven en de Opstanding van J. C. uit een geneeskundig oogpunt beschouwd*, Amst. 1806, qui hanc quaestionem sibi exponi desiderantibus omnino satisfacere posse videntur. Quum STRAUSSIIUS atque WEISSIUS de vera JESU morte non dubitent, nos quoque

---

<sup>(1)</sup> Ipsum STRAUSSII opus, ubi debuisset, non inspexit, ut ipse dicit, p. 89. »*Wie mir denn auch sein Werk über das Leben Jesu, »bis zu dem Augenblicke hin ein verschlossenes Buch war, wo ich »diese meine Schrift beinahe schon fertig hatte.*» Itaque non accurata ejus disputatio esse potuit.

in disquisitione nostra tacite ponimus: Vere JESUS mortuus est, cruci affixus (1).

Ne amplius nomina tantum recensere videamur, caeteros jam mittimus scriptores de JESU in vitam reditu, quorum antiquiores laudatos invenies a WALCHIO (2), FABRICIO (3) et M. LILIENTHALO (4), recentiores a DANZIO (5) et HASIO (6). In patria nostra quoque JESU resurrectionis veritatem et momentum exposuit J. H. SONSTRAL, *JESU Opstanding, de grondzuil van het Christelyk geloof*, 1832.

Pervenimus ita ad finem disquisitionis nostrae cum de dubiis contra JESU in vitam reditum motis, tum de iis, qui ad illa responderunt. Progressum huncce animadvertere licet, quod adversarii antecedentium semper dubitationibus utantur, atque novis argumentis ea fulciant. In significatione autem, narrationibus de JESU in vitam reditu tribuenda, fide historicâ negatâ, eos magis magisque recessisse ab Evangelistis, sponte patet, illamque refutari accuratâ Evangeliorum expositione. Modo, quid illi nobis tradere voluerint, quaeratur,

---

(1) Cf. qui de hac quaestione egerunt, quos laudat BASE, *Leben Jesu*, ed. 3, § 121, p. 207 sqq. PAULUS, *Exeg. Handb.* III, 781 sqq. WINER, *Real-Wörterb.* voce JESUS, I, p. 672.

(2) *Bibliotheca Theologica Selecta* I, 102, 263; III, 433.

(3) *Delectus argument. et syll. script.* pag. 704.

(4) *Theol.-Homiletischer Archivarius*, 1749, pag. 271 sqq.

(5) *Universal Wörterb. der theol. und rel. Literatur*, voce *Auferstehung*, pag. 91 sqq.

(6) *Leben Jesu*, pag. 212—214.

non vero, quid tradere debuerint, antea construatur. Porro etiam recentissimi adversarii neque JESUM neque ejus discipulos fraudis accusarunt. Vel sic tamen cavendum est, ne fallamur, insidiasve ponant adversarii, ubi negant in vitam rediisse JESUM, et sepulcrum a militibus fuisse custoditum, cum tamen constet vacuum fuisse sepulcrum, quod illi fere infitias ire videntur. Tandem nobis prodest discordia, qua consumuntur adversarii, quorum alter alterius interpretandi et argumentandi rationem carpit atque rejicit, et quisque suo more Evangelistas exponit, subtilissima quaeque φιλοσοφούμενα posteris tradentes.

Atque haec jam monuisse sufficiat. Reditum JESU in vitam varias ob causas negant adversarii, ejusque vim, effectus saluberrimos et significationem minime recte perspiciunt aut exponunt. Quum itaque ad ipsam disputationem accedimus, novissima dubia refutaturi a STRAUSSIO in primis et WEISSIO mota, quia aliorum objectiones alii satis jam refutarunt, *priore* quidem parte vindicanda nobis est JESU e mortuis resuscitatio, *posteriore* vero, e nexu, qui illi cum aliis doctrinae Christianae capitibus intercedit, ejus momentum est probandum, ut tota disquisitio respondeat ad quaestionem: quid sit, effecerit, efficiatque Sospitatoris in vitam reditus?

---

## PARS I.

JESU IN VITAM REDITUS VINDICATUR.

---

In vitam rediisse JESUM quum tradant Evangelistae, ante omnia nobis videndum est, quaenam illi hac de re nobiscum communicent, ut ita de fontibus constet, quos tuto adire nobis liceat. Quorum auditis narrationibus, deinde, num ipsa res, quam ponunt magis quam referunt, vera sit, inquirendum est. Etiam si enim nobis persuaserimus, Evangelistarum narrationibus, in se spectatis, fidem esse habendam, tamen de ipsa re jure fortasse addubitarem, quum scripto mandassent, quod, licet vere accidisse ipsi putarint, ita tamen fieri non potuerit (1). Ne igitur supervacaneam quis existimet disquisitionem in ipsius rei veritatem, quippe quae disquisitio valet, ut eorum quoque dubia refellere possi-

---

(1) Cum aliis recte hoc discrimen fecit PAULUS, *Exeg. Handb. über die drei ersten Evangg.* 1833. III. s. 833. »und ist gleich »nichts nothwendiger als die sorgfältigste Behutsamkeit gegen Ein- »mischung eigener Urtheile in die Facta.»

mus, qui JESUM in vitam rediisse varias ob causas negandum esse censeant.

## CAPUT I.

EVANGELISTARUM DE JESU IN VITAM REDITU  
NARRATIONES DIJUDICANTUR.

Hocce capite singulatim Evangelistarum de re nostra narrationes *primum* exponemus. Verum non tantum, quaenam nobiscum communicarint, quaerendum est, sed etiam quam fide digni ea nobis tradiderint, atque ita *deinde* videbimus de Evangelistarum narrationum fide historica.

### SECTIO PRIOR.

NARRATIONUM EVANGELISTARUM EXPOSITIO.

#### § 1.

*Matth.* XXVIII: 1—8.

Postquam die Veneris MARIA MAGDALENA et MARIA mater JACOBI et JOSIS <sup>(1)</sup> in sepulcro reconditum vide-

---

(<sup>1</sup>) Ἡ ἄλλη Μαρία eadem est, quae XXVII, 56, coll. s. 61, dicitur ἡ τοῦ Ἰακώβου καὶ Ἰωσὴ μητῆρ, quam DE WETTIG, *Exeg. Handb.* ed. 2, ad. XXVII: 56 dicit τὴν ἀδελφὴν τῆς μητρὸς αὐτοῦ (JESU) — Μαρίαν τὴν τοῦ Κλωπᾶ, quod ex Joh. XIX: 25 repetit.

rant cadaver doctoris, quem tenerrimo amplexae fuerant amore, primo hebdomadis die continuo locum adeunt, quem, nisi sacra fuissent facienda (1), non facile reliquissent. Vehementi autem desiderio ductae, primo jam diliculo (2), iter faciunt, ut sepulcrum inspiciant defunctique reliquias honore afficiant. Qualia autem evenerant ante earum adventum (3)! Ecce! quum

---

Distinguendum autem esse inter τὴν ἀδελφὴν τῆς μητρὸς αὐτοῦ et Μαρίαν τὴν τοῦ Κλωπᾶ, l. l. commemoratas, recte probatum ivit C. WIESELER, *die Söhne Zebedäi Vettern des Herrn*, in *Diario Studien und Kritiken*, 1840, III, 650 sqq. cf. *Godgel. Bijdragen*, 1840. Neque recte FRITZSCHUS ad h. l. JESU matrem hic significari statuit, loca conferri jubens Matth. XIII: 55 et XXVII: 56.

(1) Luc. XXIII: 56.

(2) Ὁψε δὲ σαββάτων κ. τ. λ. cf. FRITZSCHUS, locum ita explicans: »post Sabbatum, quum praeterisset dies Sabbati: primo diliculo, quod in hebdomadis initium vergeret, primi hebdomadis diei »diliculo.» Ita non opus est, ut cum Cl. PAULO haec verba ad antecedens caput referamus.

(3) Primo obtutu fortasse quis putet, iis, quae s. 2—4 narrantur, mulieres interfuisse. Contrarium autem docent haec: 1. Nesciverunt mulieres, sepulcrum custodiri a militibus, quum Judaei hanc custodiam a PILATO petierint die post mortem Domini. Quod si scivissent, certo sepulcrum inspicere non ausae fuissent, nec de saxo devolvendo dubiae haesissent (Marc. XVI: 3). Contra vero, e longinquo custodia visâ, continuo in fugam se coniecissent. Non recte igitur illud negavit H. A. W. MEIJERUS, *Krit.-Ex. Komm.* ad Marc. XVI: 3. — 2. Ipsa etiam narratio, JESUM e sepulcro prodixisse ante mulierum adventum, comprobatur. Etenim, si mulieres Angelum, de coelo descendentem, mox sepulcrum, corpore vacuum vidissent, quaerendum omnino esset,

Angelus de coelo descenderet, terra commota fuit <sup>(1)</sup>; saxum, quod ante sepulcrum Senatus Judaeorum posue-

---

quid tandem de cadavere defuncti cogitandum sit. Intranses sepulcrum vacuum illud inveniunt mulieres; attamen antea in sepulcro depositum fuisse corpus ipsae viderant. Omnia igitur graphice depinguntur, unde repetendum est, quod verba ἰδοὺ, κατλ. s. 2, referre videantur αὐτόψιαν, neque adeo aoristi ἐγένετο, καταβάς etc. pro plusquampl. tempore habendi sint; verum sine dubio haec deinceps ita a militibus tradita sunt. Cf. quae hac de re habet MICHAËLIS, *Erklärung der Begräbniss- und Auferstehungsgeschichte* CHRISTI. Halis 1783, s. 112, sq. et GRIESBACHII sententia, quam refert KUINOELIUS ad h. l. ed. 4, p. 322, quaeque infra h. de re monemus.

(<sup>1</sup>) Interpretibus, qui de terrae motu h. l. cogitandum esse negarent (cf. KUINOELII *Comm.*), nuperrime assensit anonymus in Diario Amstelodamensi, *Maandschrift voor Christenen*, 1841, V. 4, p. 236 seqq. verba σεισμός ἐγένετο μέγας s. 2. vertens: »et magna commotio animi facta est, eene groote ontroering of ontstellenis had »er plaats bij de wachters.» Monet, mulieres terrae motum non animadvertisse, neque hanc ob causam milites metuentes fugisse, sed propter Angelum descendentem; hujus descensum non necessario comitari terrae commotionem, quod tamen particula γὰρ significare videretur, neque magnum terrae motum postulari. Ut mihi autem videtur, tenendum est, relativam q. d. esse τοῦ μέγας notionem, ita ut, quam alter majorem dicit commotionem, leviolem alter existimet; neque totam conquassatam esse Hierosolimam, sed unice tractum, qui sepulcrum contineret, quod custodientes milites facile omnem ejus vim senserunt, mulieres vero ipsam hanc ob causam non animadvertent; ex hoc igitur sequitur terrae motum non late se extendisse. Lubens concedo, terram non commotam esse, quia Angelus de coelo descendit; exinde autem minime sequitur, Angelum descendere non

rat, devolvit Angelus, atque in hoc consedit (1): quibus visis, sepulcrum custodientes milites, plane timore correpti et obstupefacti, in fugam se conjecerunt. Ejusmodi quid numquam illi viderant! Coelestem scilicet spiritum, fulminis ad instar descendantem, cujus forma nivea erat, cujus accessum terrae motus comitabatur. Quae vero mox secuta sunt, his nemo mortalium interfuit (2), neque eorum quisquam primus nuntius

---

potuisse, dum terra concutiebatur, quod Vir Ven. aliquatenus statuere et urgere mihi videtur, quum nusquam alibi mentionem fieri moneat Angeli, terra tremente, descendantis. Prae omnibus ei obstat difficultas grammatica. Sect. 4, verba ἀπὸ δὲ τοῦ φόβου αὐτοῦ ἐσεισθησαν οἱ τηροῦντες exponunt effectum antecedentium; voculam δὲ veritas igitur: *autem*, — »prae metu autem ejus fugerunt,» etc. Quod si s. 2 verba verti possent: »magna commotio animi facta est,» jure expectabis quidem expositionem causarum hujus σεισμοῦ (s. 2, 3.); minime vero iteratam hujus commotionis commemoracionem. Vertenti igitur: *et magna animi commotio (σεισμός) facta est, nam angelus etc.* — *prae ejus metu (δὲ?) commoti sunt (ἐσεισθησαν) custodientes etc.* patet, hisce inesse *ταυτολογίαν*, quam scriptor certo evitasset. Hanc ob causam Viro Ven. non assentio. Cff. FRITZSCHIIUS ad h. l. et infra monita p. 38, n. 1.

(1) BENGEL, *Gnomon* ad h. l. »αὐτοῦ» sic nemo poterat lapidem denuo advolvere sepulcro.» PAULUS ad h. l. verba ἐκάθητο in primis obesse putat sententiae de fulmine saxum devolvente, cui lubenter assentimus, licet in cacteris, quae de Angelo monet, nequaquam cum eo faciamus.

(2) Quod monent quoque antiquae Ecclesiae Patres, quos laudat C. L. MÜLLER: *de resurrectione JESU CHRISTI, vita eam excipiente et*



fuit, sed ipse Angelus laeta verba mulieribus annuntiavit. Hae enim advenientes, sine dubio timore affectae, minime intelligere potuerunt, quae viderunt et audierunt. *Ne timeatis quaeso*, ita enim eas alloquentem audimus Angelum <sup>(1)</sup>, *etenim vos JESUM quaerere, qui cruci affixus est, scio. Hic non est. Surrexit enim, prouti dixit* <sup>(2)</sup>; *accedite, locum ubi jacuit Dominus*

---

*ascensu in coelum sententiae, quae in Eccl. Chr. ad finem usque Saeculi VI viguerunt.* Hauniac, 1836, pag. 58.

(1) Quae jam sequuntur verba, FRIEDRICHUS, HEZELIUS, ipse KUINOELIUS ad h. l. minime Angelo tribuunt, sed tamquam cogitationes, animis mulierum obversantes, proponunt. Verum nequaquam hi interpretes ad earum animi conditionem, ad tristitiam et timorem attenderunt, quibus commotae, nisi extrinsecus ansa praeretur, omnino longe alia exspectassent et cogitassent. Non majore applausu digna censenda est KUINOELII interpretatio de Angelo, e coelo descendente. Provocans ad Hebraeorum opiniones, qui omnia inopinata eventa etc., ad genios referrent et Angelos dicerent, commotionem terrae pro Angelo habet, vel rectius forte, ut addit, intelligitur fulmen, quod saxum percusserat atque de sepulcro dejecerat, vel potius cogitandum censet de flammis, quae, terram commotam, eruperant. Quid igitur proprie velit KUINOELIUS, non facile intelligere quis possit, ubi ejusdem rei tres dantur interpretationes, quum etiam historia ei obest, quae Angelum loquentem inducit, cujus verba neque mulieribus, neque fulmini aut alii naturae phaenomeno tribuere licet; neque intelligimus, qui mulieres ea, quae ipsae cogitarint, pro verbis Angeli, quem audivisse sibi visae sunt, habere potuerint.

(2) Καθώς εἶπε s. 6. Horum verborum sensum prorsus infringit PAULUS in Comm. ad h. l. ea interpretatus: »Von einer solchen Auf-  
»erstehung war, wie ihr jetzt sehet, dass zu verstehen, was er

*adspicite, et continuo abeatis, ut Ejus discipulis, è mortuis Eum resurrexisse, annuncietis. En! vobis Galilaeam versus praevis it; ibi Eum videbitis. Ecce, dixi vobis* (1). Quibusnam verbis jam uteremur, ad mulierum animi conditionem describendam? Metuentes, simul vero vehementer mirantes et gaudentes audierant, quae nec suspicari, nec sperare posse sibi visae erant. Vivit amicus, vivit Dominus; hac de re vix dubium exstat, quia sepulcrum intraverant, quod vacuum viderant; quocirca egressae (2), magno timore et gaudio discipulos adeunt, ut cum his laetissimum communicent nuntium, atque sic Angeli mandato satisfaciant.

Haec tradit Evangelium, quod MATTHAEI nomen prae se fert. De iis, quae mox secuta sunt, infra videbimus.

## § 2.

### *Marc. XVI: 1—8.*

Ab eadem re, qua MATTHAEUS, narranda fere incipit MARCUS. Quod enim fecerant jam amici, denuo id

---

»sonst von seinem ἐγείρεσθαι, ὁρίθη, gesprochen hat.» Nam de reditu in vitam terrestri non cogitasse JESUM, quin adeo Eum suam e mortuis resuscitationem miratum fuisse, statuit V. Cl. in *Comm.* l. l. p. 330.

(1) Cf. de verbis ἰδοὺ, εἶπον ὑμῖν, infra pag. 41, n. 1.

(2) S. 3. ἐξελθοῦσαι ἀπὸ τοῦ μνημείου. Rem itaque accurate indagaverunt; Eum vero non videntes, quem mortuum et sepultum sciverunt, verbis Angeli tuto fidem habuerunt.

facere sibi proposuisse defuncti amicas tradit. Corpus nempe JESU aromatibus, Sabbato elapso emtis, unguendi causa, sepulcrum adierunt MARIA MAGDALENA et MARIA mater JACOBI et JOSIS <sup>(1)</sup> una cum SALOME. Viderant illae <sup>(2)</sup>, quo loco deposuerat cadaver JOSEPHUS *Arimathaeënsis*, qua de causa primo hebdomadis die, alto mane, orto sole <sup>(3)</sup>, iter ingressae sunt. Magnae vero molis saxum cum sci- rent, ad sepulcrum advolutum esse <sup>(4)</sup>, inter se anxiae quaesiverunt, quis tandem saxum devolveret, quum certe nemo, qui introitum iis pararet, adesset. Ecce vero,

---

(1) *Μαρία ἡ τοῦ Ἰακώβου* eadem est, quae XV: 47 dicitur *Μαρία Ἰωσή*, quod et facile ex MATTHAEI collatione patet.

(2) XV: 47, coll. s. 40.

(3) *Ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου*. KUINOELIUS ad h. l. non recte haec expressit: »*orituro sole*,» aoristum ita pro futuro interpretatus. Caeterum cf. FRITZSCHIIUS ad h. l.

(4) Quod in more positum fuisse apud orientales, ut a tempestate, vel hominum et bestiarum injuriis tuta essent cadavera, notum est. Verba *ἦν γὰρ μέγας σφόδρα* causam dare mihi videntur, cur s. 3 dixerint mulieres: *τίς ἀποκλύσει ἡμῶν κτλ.* prouti BENNELIUS in *Gnomone* animadvertit: »Innuit particula (*γὰρ*) cur et mulieres sollicitae fuerint, et cur *lapidem* majore vi devolvendum agnoverint.» Minime pro verbis MARIAE habenda sunt, aut ad s. 4 referri debent, ita, ut Evangelistae verborum *ἀναβλέψασαι θεοροῦσιν, ὅτι ἀποκλύσεται ὁ λίθος* rationem reddant, et intelligatur: ita ut e longinquo conspici posset. Prior enim interpretatio verborum trajectionem ponit, quam textus nequaquam permittit; altera haec verba superflua reddit, quum, recte monente FRITZSCHIO, »nihil referat, utrum mulieres e longinquo grandem lapidem conspiciere potuerint; nec ne?» qui cf. omnino ad h. l.

saxum jam devolutum esse vident, nec quidquam adesse, quod, quominus cadaver carissimi magistri unguerent, impedimento ipsis esset. Intranantibus autem sepulcrum, coram oculis iis apparet juvenis, ad dextram sedens, alba veste indutus; quo viso, quis eas vehementer obstupuisse miratur, quum saxum non devolutum, multo minus juvenem in sepulcro expectarent, imo quod quaerent non viderent? Quod quum facile suspicaretur ille juvenis, *Ne obstupescatis*, inquit, *JESUM quaeritis Nazarenum, cruci affixum; surrexit, hīc non est; en! locus, quo Eum deposuerant. Verum abeatis; discipulis Ejus et PETRO annuncietis, versus Galilaeam Eum vobis praecedere; ibi Eum videbitis, prouti vobis dixit* (1). E mortuis igitur JESUS resur-

---

(1) Verba καθώς εἶπεν ἡμῖν igitur referenda sunt ad praecedentia οὗτοι προάγει ἡμᾶς κτλ. cf. XIV: 28. Non recte PAULUS in *Comm.* ad h. l. III, p. 856 sq. statuit, MARCUM verba MATTHAEI ἰδοὺ, εἶπον ἡμῖν aliter intellexisse, quandoquidem, si vel concederemus, ex MATTHAEO hausisse MARCUM, quod negandum esse videtur, tamen hoc εἶπεν, Marc. XVI: 7, egregie convenit cum Matth. XXVIII: 6. καθώς εἶπε, ut utroque loco JESU verborum rationem habeat Angelus, quum longe aliud quid significant MATTHAEI verba ἰδοὺ εἶπον ἡμῖν, quibus hunc sensum tribuimus: »jam munere meo perunctus sum." Idem valet de iis, quae monent DE WETTIUS, *Comm.* ad Matth. XXVIII: 7, et STRAUSSII, *Leb. Jesu*, ed. 3, II, pag. 646 sq. Nulla igitur causa esse videtur, ob quam conjecturae faveremus, quae pro εἶπον l. l. legendum proponit εἶπεν. Sic enim bis ad JESU verba provocasset Angelus; praeterea JESUS ipse numquam dixisse traditur, se in Galilaea mulieribus conspiciendum se praebiturum esse, post reditum in vitam.

rexerat! Quem unguere voluerant, hic Galilaeam adibat! Mortuum inter vivos versantem, in Galilaea videndi, audiendi, alloquendi facultatem habent! Et haec omnia e quonam acceperunt? Non ex mortalium numero hic juvenis erat, de quo facile sibi persuaserunt, quum caeteroquin tanto tremore et stupore affectae non fuissent, quibus jam incitatae in celerem fugam se conjecerunt, nullum verbum emittentes, neque inter se de visis auditisque ullum sermonem prae metu conserentes <sup>(1)</sup>.

§ 3.

*Luc. XXIV: 1—12.*

Patet ex Lucana narratione, MARIAM MAGDALENAM, JOHANNAM <sup>(2)</sup>, MARIAM matrem JACOBI aliasque nondullas mulieres, quae cum JESU e Galilaea Hierosolyma venerant, ibique morientem viderant Dominum <sup>(3)</sup>, die

---

(1) Nimis haec verba καὶ οὐδενὶ οὐδὲν εἶπον, Marc. XVI: 8, urgent FRITZSCHUS, MEIJERUS, DE WETTIUS aliique, ubi hic e. c. dicit: »die starke Negation erlaubt nicht die Erklärung: sie sagten »Niemandem davon im ersten Augenblicke oder auf dem Wege nach »der Stadt, oder mit Ausnahme der Apostel.« Contrarium enim docet historia, et ipsa res et ratio, quae de mulieribus, laetum nuntium tacentibus, cogitare omnino vetat. Cf. quoque Matth. VIII: 4, ὅρα, μηδενὶ εἴπης· ἀλλὰ κτλ.

(2) Ἰωάννα γυνὴ Χουζᾶ ἐπιτρούπου Ἡρώδου. Luc. VIII: 3.

(3) Cf. XXIII: 49, 55. coll. XXIV: 10. Verbis καὶ τίνες αὐτῶν, Luc. XXIV: 1, quippe spuriis, atque recte a KUINOELIO, LACHMANNO, aliisque eliminatis (cf. GRIESBACHUS), facile caremus,

solis sepulcrum adiisse, aromata secum ferentes. Ne de consilio, quo hoc iter fecerint, dubii haereamus, MARCUS jam monuit, eas venisse, *ὥστε ἐλθοῦσαι ἀλείψωσιν αὐτὸν* (XVI: 1). At spem fefellit eventus, nam saxum devolutum viderunt; corpus autem defuncti oculis frustra quaerentes, jure perturbatae, nesciverunt, quid hac de re statuerent; quum duo viri, quos certo nondum animadverterant, splendentibus vestibus induti, accederent, easque, caput in terram prae metu inclinantes, sic alloquerentur: *Quid viventem apud mortuos* (1) *quaeritis? Hic non est, verum surrexit. Recordemini, quomodo vobis, in Galilaea olim versans, dixerit* (2): *in manus improborum hominum tradi oportet hominis filium, crucique affigi et die resurgere tertio.* His verbis in memoriam revocatis, nullae dubitantes, audita cum undecim discipulis caeterisque magistri sectatoribus communicarunt. Res tamen adeo incredibilis his visa est, ut pro nugis et commentis, quaecumque mulieres narrarent, haberent, fidemque iis denegarent. Attamen PETRUS continuo sepulcrum adiit (3), ut de dictorum vel veritate vel falsitate sibi

---

cum universe s. 1 respicit ad XXIII: 55, neque hoc additamento opus est, verosimiliter sumto illo ex s. 10.

(1) *Μετὰ τῶν νεκρῶν*, s. 5, i. e. quo mortui esse solent loco, in sepulcro.

(2) IX: 22. XVIII: 33.

(3) Molestiam creavit interpretibus s. 12. Desideratur enim in Cod. D, et in versionibus nonnullis, quocirca spuriam eam nonnulli

persuaderet. At quid vidit? fascias linteaque sepulcralia, neque aliud quidquam. Verane igitur dixerant mulieres? Hoc certum erat, desiderabatur CHRISTI corpus, nec dubitamus, quin domum rediens PETRUS vehementer, quae acciderant, miratus sit.

---

habuerunt, atque postea ex Evangelio JOHANNIS textui insertam, aut aliunde petitam, a LUCA non suo ordine et loco dispositam. Cf. quae monet KUINOELIUS ad h. l. Sed cum DE WETTIO animadvertas, serius temporis interpolatorem JOHANNIS certe Apostoli mentionem facturum fuisse, cum Joh. XX: 3 sq. una cum PETRO commemoretur JOHANNES. Codicum vero auctoritas, ut LUCAE verba vindicemus, suadet, qui ipse infra s. 24, quae omiserat, addit, CLEOPAE verba referens: καὶ ἀπελθόν τινες τῶν σὺν ἡμῶν ἐπὶ τὸ μνημεῖον. Totius sect. absentia in Cod. D fortasse explicari potest ex pugnae specie cum s. 24 coll. Joh. XX: 3. — Perverse omnino de hac sect. PAULUS in *Comm.* ad h. l. cogitat, statuens, hisce verbis causam dari, ob quam mulieribus fidem non habuerint discipuli, quippe qui e PETRO jam audiverint, vacuum fuisse sepulcrum. Quam sententiam, ut veritatis quadam specie fulciret V. Cl., aoristo 2 ἔδραμεν vim tribuit plusqpf., et vertit: *adierat* sepulcrum. Grammaticae autem haec interpretatio non procedit, quia male jungitur plusqpf. (proprie aor. 2.) ἔδραμεν cum praes. tempore βλέπει, et attendendum est ad ea, quae monuit WINERUS, *Gramm. des N. T. Sprachidioms*, ed. 4, p. 251: »Es beruht aber dieser Gebrauch« (aor. pro plusqpf.) »darauf, dass der Schriftst. das Factum als ein schlechthin vergangenes, nicht im Verhältniss zu einem andern ebenfalls vergangenen dachte,« ejus contrarium nostro loco obtinet, ubi causam reddunt haec verba discipulorum ἀπιστίας, ex mente PAULI.

§ 4.

Joh. XX: 1—13.

Ab iis, quae Synoptici huc usque nobis tradiderunt, quodammodo differunt a JOHANNE relata. Ex hujus enim narratione, primo hebdomadis die MARIA MAGDALENA, primo mane, sepulcrum JESU adit; saxum vero devolutum videns, aditum jam omnibus patere et corpus Domini sublatum esse statim opinatur. PETRUM et JOHANNEM<sup>(1)</sup> adit, quibus, *Dominum*, inquit, *sustulerunt, neque, quo loco Eum deposuerint, scimus* <sup>(2)</sup>. Quibus

---

(1) Ὁ ἄλλος μαθητής, ὃν ἐφίλει ὁ Ἰησοῦς. Cf. XIX: 26. JOHANNEM hic designari sponte patet.

(2) Οἶδαμεν s. 2. Alii legunt οἶδα (cf. GRIESBACHIIUS ad h. l.), alii οἶδα μὲν (cf. KUINOELIUS ad h. l.). Vulgata lectio, quae majorem habet auctoritatem, retinenda est. Nam procul dubio MARIA MAGDALENA cum aliis mulieribus, prouti et Synoptici tradiderunt, ex urbe exiit, harum vero mentionem ideo non fecit JOHANNES, quod e MARIA MAGDALENA, quae caeteras reliquerat, sola haec acceperit. Sic minime KUINOELII, enallagen temporis h. l. invenientis, interpretatione indigemus, ubi veteribus assentit, multo minus cum eo facimus, haec addente: »et commode vulgata lectio retineri potest — »cum JOHANNES interdum negligentius scribere soleat, et h. l. orationem MARIAE verbotenus reddere voluerit.» Quorum verborum pugna sponte in oculos incurrit. Qui enim alicujus orationem *verbotenus* reddit, quomodo ille *negligentius* scripsisse censendus est? Quod si autem JOHANNES MARIAE verba tradiderit, pluralis numerus proprio sensu accipiendus est, quum de se sola verba faciens MARIA, nunquam οἶδαμεν pro οἶδα dictura fuisset. MEIJERI (*Krit-Exeg. Komm.* ad h. l.) interpretationem recte refutat LÜCKIUS in *Comm.* ad h. l.



auditis, PETRUS et JOHANNES, ut ipsi, quid de re sit, videant, sepulcrum visum abeunt, quorum prior JOHANNES ad locum pervenit <sup>(1)</sup>, ubi JESUM sepeliverant Ejus amici; tam ardentem autem in rem inquirere studens, imo JESU in vitam rediisse quodammodo jam suspicans, ad ipsum locum ubi pervenit, vix intrare ausus est, sed lintea jam vidit. Postquam vero audacior ille alter intrasset et lintea vidisset, seorsim vero sudarium convolutum <sup>(2)</sup>, ipse quoque JOHANNES intravit, idem vidit, credidit. In vitam rediisse CHRISTUM credidit <sup>(3)</sup>, quandoquidem viderat τὸ σουδάριον ἐντετυλιγμένον εἰς ἓνα τόπον; de inimicorum injuria vel cura amicorum cogitare non potuit, cum prius in primis vetaret sudarium, opera et studio convolutum, ipse

---

<sup>(1)</sup> Quare per viam propiorem, uti KUINOELIUS ad h. l. voluit? Quidni celeriore cursu PETRUM, eadem via eum secutum, antevenisset?

<sup>(2)</sup> Candida ὀθόνια etc. »pro Angelis habuisse mulieres meticulosas;» satis absurde statuit EICHHORNIUS, laudatus a KUINOELIO ad Matth. XXVIII: 5; nam Angelos vident loquentesque audiunt, antequam sepulcrum inspexerint, uti MATTHAEUS tradit l. l.

<sup>(3)</sup> Καὶ ἐπίστευσε s. 3. Lectio Cod. D οὐκ ἐπίστευσε nulla gaudet auctoritate. LÜCKIUM (ed. 2) et THOLUCKIUM (ed. 5) secutus sum in verbi ἐπίστ. interpretatione, quam antea tuitus quoque est Cl. H. E. VINKE, in *Spec. quo Vaticinationes J. C. de perpeſsionibus suis, morte et in vitam reditu, illustrantur et vindicantur.* Traj. ad Rh. 1818, p. 37 sqq., qui conferantur omnino. Acute dubia contra hanc interpretationem exposuit Doct. CHELIDON, in *Ephemerr. Boekzaal der geleerde wereld.* Jul. 1840, ut responderet Ven. HALON, pro nostra pugnanti explicatione, in iisdem *Ephemerr.* Maj. 1840.

autem consilii, quod iniissent amici, non ignarus fuisset JOHANNES. Credidit, postquam vidit, quoniam nondum intellexerunt, quod scriptum erat: JESUM sc. e mortuis redire oportuisse. His visis domum redierunt; cum interea MARIA MAGDALENA ad sepulcrum rediisset, et lacrymas fundens adstaret, duos Angelos, sepulcrum inspiciens, videt <sup>(1)</sup>, quorum, albis vestibus indutorum, alter ad superiorem, ad inferiorem partem sepulcri alter consedit. Cum hisce, de ejus lacrymis quaerentibus, doloris causam communicat, eodem, quo cum PETRO et JOHANNE antea eam communicantem audivimus, modo.

Ex antecedentibus vidimus, singulos narrare Evangelistas, ex Angelis mulieres nuntium accepisse, de JESU in vitam reditu, modo MARCUM et LUCAM excipias, qui ἀγγέλου verbo non utuntur; nullum autem eorum de ipsa JESU e mortuis resuscitatione aliquid tradere, quod hujus facti ἀντόψιαν referat, quo fit, ut modum ignoremus, quo JESUS e sepulcro redivivus prodierit. Nec sufficit, separatim Evangelistarum narrationes exposuisse; inter se comparentur, alterum alter explicet, ut, variis auditis testibus, de fide constet, qua digni sint. Et-

---

(1) Mira ratione PAULUS, in *Comm.* III, pag. 831, hujus loci ordinem convertit, ita ut MARIA cum Angelis locuta sit Dominumque viderit, ante PETRI et JOHANNIS adventum, statuens igitur: »*dass, chronologisch betrachtet Joh. XX: 11—17 vor V<sup>s</sup>. 3—10 zu erklären ist.*» At aliud certe voluit Evangelista, cujus fidem hac in re in dubium vocari, vetat accurata ejus verborum interpretatio.

enim omni aeo inter has narrationes pugnam exstare, probare conati sunt multi viri docti, religionis Christianae adversarii, quibus alii accesserunt, qui his narrationibus inesse statuerent, quae nequaquam sic accidisse potuerint, aut harum narrationum fontes turbidos dicerent; quibus si concedendum esset, nugae fabulaeque omnia jure haberentur, quae de harum narrationum fide historica in medium proferantur. Ad hanc igitur disquisitionem statim accedamus.

---

## SECTIO POSTERIOR.

### NARRATIONUM EVANGELISTARUM FIDES HISTORICA.

Hac sectione ostendere conabimur, Evangelistarum de JESU in vitam reditu relata egregie inter se convenire, iis nihil inesse, quod jure quis negare possit, ita accidisse, nullumque contra harum narrationum ἀξιωματικὴν argumentum peti posse ex earum origine.

#### § 1.

##### *Narrationes inter se conveniunt.*

Quicumque obiter has narrationes percurrit et inter se confert, sponte de pugnae quadam specie, de levi discordia sibi persuadebit, atque in omnibus minime convenire Evangelistas aequus quisque judex concedet. At longe aliud quid est, ejusmodi concedere diversitatem, aliud, hanc ipsam ob causam omnibus fidem

denegare. Spectat enim haec varietas non rem ipsam, verum minoris pretii *περιστάσεις*, quae non arcte cum rei summa conjunctae sunt, sed magis ad eam illustrandam valent. Fuerunt et sunt etiam nunc, qui propter hanc, quam in narrationum parte minutiore jactarunt, pugnam, fabulis annumeranda censeant de JESU in vitam reditu ab Evangelistis relata. Fuerunt alii, qui in minimis etiam rebus omnia convenire probare conati et revera sibi probasse visi sint, ea tamen felici sorte non usi, ut adversarios profligaverint, vel certe ad terminos non loqui redegerint. Omni, quo valet, ingenii acumine et acerbitate, nostris temporibus, ut notum est, STRAUSSIIUS, quae ante eum jam saepius mota erant, dubia iteravit, multique, qui caeteroquin minime ab ejus partibus stare censendi sunt, magis minusve ei assenserunt; quocirca non supervacaneum certe mihi visum est, pro tenuibus, quibus valeo, viribus, denuo de hac quaestione agere, ut *primum* pugnae speciem, quae in his narrationibus animadvertitur, exponam; *deinde* de varia ratione, qua interpretes de hac pugna senserint, videam; *denique* has narrationes optime inter se convenire probem.

I. Inter se discrepant, quae de JESU in vitam reditu nobis tradunt IV Evangelistae, quae discrepantia ita exponi potest:

1. Quod ad mulieres, quae sepulcrum adierunt, attinet, *Matth.* MARIAM *Magd.* et MARIAM JACOBI matrem, *Marc.* MARIAM *Magd.*, MARIAM JACOBI matrem et SALOMEN, *Luc.* MARIAM *Magd.*, MARIAM JACOBI matrem et

JOHANNAM cum aliis mulieribus, *Joh.* tandem unam MARIAM *Magd.* hoc iter suscepisse tradit.

2. Quod ad illarum consilium attinet, *Matth.* pro-  
fectas eas esse tradit, ut sepulcrum inspicerent, *Marc.* ut  
corpus JESU unguerent, quibus *Luc.*, aromata eas secum  
portasse, addit.

3. Quod ad tempus, quo viam ingressae sunt, *Matth.*  
quum illucesceret primus septimanae dies, *Marc.* λίαν  
πρωῖ, orto sole, *Luc.* ὄρθρου βαθέος, primo diliculo,  
*Joh.* primo mane, σκοτίας ἔτι οὐσης, quum nondum  
luceret.

4. *Matth.* Angelum, cum terra movebatur, descen-  
disse, saxumque devolvisse tradit, quibus visis aufugisse  
mi ites. *Marc.* in itinere mulieres proponit sollicitas de  
saxo devolvendo, advenientes saxumque devolutum viden-  
tes sepulcrum eas intrasse scribit; *Luc.* mulieres, post-  
quam saxum devolutum viderant, intrasse, et corpus JESU  
non invenisse; *Joh.* MARIAM *Magd.*, quum saxum de-  
volutum vidisset, ad PETRUM et JOHANNEM rediisse narrat.

5. *Matth.* unius Angeli, in saxo sedentis, mulieres  
alloquentis, mentionem facit; *Marc.* unius juvenis, in  
sepulcro ad dextram sedentis; *Luc.* duorum, qui ibidem  
iis adstiterunt, virorum; *Joh.* tandem duorum Angelorum  
MARIAE *M.* apparentium, ibidem sedentium, at tum  
demum, quum denuo ad sepulcrum redierat.

6. *Matth.* mulieres describit, metu et gaudio redeun-  
tes, ut cum discipulis haec communicent; *Marc.* eas  
praeter modum metuisse, neque ullum verbum emisisse;  
*Luc.* verborum JESU de ejus in vitam reditu eas me-

minisse, discipulisque eas audita narrasse monet. De *Joh.* vid. n. 4.

7. *Luc.* mulieribus, quae cum Angelo locutae erant, fidem non habuisse discipulos tradit, sepulcrum tamen adiisse PETRUM, mirantem rediisse; *Joh.* nonnullis de MARIA *Magd.*, quae Angelos nondum viderat, narratis, PETRUM et JOHANNEM itidem sepulcrum adiisse, hunc sibi de JESU in vitam reditu persuasisse, utrumque dein rediisse scribit.

8. *Joh.* denique MARIAM *M.* cum Angelis loquentem inducit, postquam PETRUM et JOHANNEM adierat, et hi sepulcrum visitaverant, quocirca bis hoc iter fecisse videtur MARIA; *Luc.* contra hoc cum Angelis colloquium obtinuisse refert, antequam viam iniit PETRUS, quum et *Matth.* et *Marc.* alterius hujus MARIAE *Magd.* itineris nullam mentionem faciant <sup>(1)</sup>.

II. Multi fuerunt, in comparandis inter se et in concordiam redigendis his narrationibus, antiqui aevi interpretes, ut ad adversariorum objectiones responderent, qui, propter pugnae illam speciem, iis prorsus fidem denegandam esse censerent. Qua in re, etsi egregia multa dixerunt, perverse tamen nonnulla interpretati sunt, *omnia* in concordiam redigere studentes. Fuerunt nempe, qui recte monuisse sibi viderentur, duas fuisse MARIAS, e vico *Magdala*, quarum alteram MATTHAEUS, MARCUS alteram commemoraret; plus semel sepulcrum adiisse sanctas feminas e. g. statuit HIERONYMUS; ordinem re-

---

(1) Alia ratione STRAUSSIIUS, *Leb. Jesu*, II, s. 620 sqq., in primis vestigia premens auctoris *Fragmentorum Guelferbyt.*, haec exposuit.

rum narratarum inverterunt alii, prouti e. c. AUGUSTINUS, statuens, Angelos mulieribus JESU in vitam reditum annuntiasse, postquam PETRUS et JOHANNES sepulcrum inspexerant; JESUM jam in vitam rediisse, quum Angelus e coelo descenderet, putavit GREGORIUS *Nyssenus* (1).

Haec inter multa, illius temporis ratione habita, bona monuerunt antiquissimi Harmonistae, inter quos recensentur TATIANUS (170) (vid. EUSEBII *H. E.* IV, 29), cujus tamen Evangelistarum harmonia minoris pretii fuisse videtur, praesertim cum in ea componenda haereticis nimis opinionibus indulserit; HIERONYMUS *Stridonensis*, qui, in Epist. CXX, quae est ad *Hedibiam*, ad quatuor respondet quaestiones de historia resurrectionis Domini, breviter neque omnes difficultates penitus auferens; AUGUSTINUS *de Consensu Evangelistarum*, Lib. III, cap. 24. Quod si supra commemoratam orationem de JESU in vitam reditu alteram tribuamus GREGORIO *Nyssen*o, hic quoque Harmonistarum (quod ad JESU in vitam reditum attinet) numero accensendus est (2).

Attamen hi caeterique omnes non satis accurate munere suo functi sunt, quum liberius hic illic res nar-

(1) Si saltem auctor hic habendus sit orationis alterius *περὶ τῆς ἀναστάσεως τοῦ Κυρίου ἡμῶν*, I. X., quae invenitur edita in ejus Opp. Paris. 1615, II, 332, de qua cf. omnino M. CRUSIUS, qui HESYCHIO *Hierosol.* eam vindicavit, in *Miscell. Groning.* IV, 1, p. 166 sqq.

(2) Cf. de hisce J. A. FABRICII *Delectus argum. et syllabus scriptt.* 1725, p. 534 sqq., qui pag. 166 EUSEBII *Caesariensis* commemorat *περὶ τῆς δοκούσης ἐν τοῖς εὐαγγελίοις περὶ τῆς ἀναστάσεως διαφορίας* scriptum, scholio quodam laudatum, de quo videatur M. CRUSIUS in *Misc. Gron.* IV, 1, p. 159 sq.

ratas exponerent. Quocirca multa sibi relicta invenit serior aetas. — Exstiterunt postea quam plurimi, qui in Evangelistarum Harmoniis de resurrectione Domini egerunt, e quorum numero laudantur MART. CHEMNITIUS, BUCERUS, CALVINUS <sup>(1)</sup>, JOH. CLERICUS, quorum ultimus ad finem operis: *Harmonia Evangelica*, Canones refert XXI, quos in concinnanda Harmonia secutus est, quorum postremi argumentum huc redit: » quamvis non potuis-  
» semus omnia loca, quae pugnare videntur, in concor-  
» diam redigere, aut obscura perspicue interpretari, neque  
» posset ab alio nunc fieri, non sequeretur, veras iis  
» inesse repugnantias, aut vitiosam obscuritatem. » Alios recenset J. F. BUDDEUS in *Isagoge Historico-Theologica*, Tom. II, p. 1461 sqq. passim. Peculiarem rationem secutus est ANDR. OSIANDER, qui fundamenti loco posuit, Evangelistas temporis accurate rationem habuisse, et, teste ipsius operis titulo, harmoniam ita contexuit, ut nullius Evangelistae verbum omitteret, nihil alienum immisceret, nullius ordinem turbaret, nihil non suo loco poneret; omnia vero literis et notis ita distingueret, ut, quid cujusque Evangelistae proprium, quid cum aliis et cum quibus commune sit, primo statim aspectu deprehendi posset. Cff. quae de eo monet BUDDEUS l. l. 1462. At ita factum est, ut res, apud singulos Evangelistas in eadem contexta oratione nobis occurrentes, distingueret, et tamquam revera diversas proponeret, utque minime inter se conferri atque

(1) Vid. Doct. D. G. ESCHER *Disq. de Calvino, ll. N. T. histor. interpr.* Tr. ad Rh. 1840, p. 30—35.



comparari possent quatuor Evangelia <sup>(1)</sup>. Fuerunt quidem, qui hanc quoque rationem sequerentur, plurimi tamen eam culparunt, ita ut alii aliter Evangelistarum de JESU in vitam reditu narrationes in concordiam redigerent. Commemorari hinc meretur SCHACHTII *Harmonia hist. resurr. J. C. ejusque sequelarum*, addita illa IKENII *Harmoniae perpess. sanct. Serv. J. C.*; cui addantur J. MAKNIIGHTI *Comm. Harmon. in IV Evv. ed. A. F. RUCKERSFELDER*, III, p. 510 sqq., coll. praef., et B. VAN WILLES, *Proeve eener overeenstemming der Evv. II*, p. 138 sqq.; caeterorum nomina recensere longum est, quandoquidem omnes fere, qui JESU in vitam reditum contra adversarios tuiti sunt, aut ad Evangeliorum interpretationem manum admoverunt, hoc munere functi sunt <sup>(2)</sup>.

---

(1) De hac ratione acerbè loquitur LESSING, *Duplik* (l. I. V, pag. 140 sqq.), hanc Harmoniam dicens: »eine Harmonie, wie sie nur in dem »Lutherthume, wie sie nur in dem falsch verstandenen Lutherthume »entstehen können. Diese, diese Harmonie wächserner Nasen, die einen »jeden Evangelisten in jeder Sylbe retten will, um aus ihnen allen ein »Ding zusammen zu setzen, das kein einziger Evangelist für das »seine erkennen würde; diese Harmonie, gegen welche allein die »Einwürfe meines Ungenannten gerichtet sind, die allein diese »Einwürfe hervorgebracht hat: wo bleibt sie? wer braucht sie? »wer mag sie? wenn wir die Evangelisten vor allererst als ge- »sunde natürliche Menschen schreiben lassen.»

(2) Quorum catalogum dedit HASE, *Leb. Jesu*, ed. 3, § 21. *Literaturgeschichte*, et, quod ad rem nostram attinet, § 123, p. 213. Cf. NIEMEIJERI *Progr. de Evangg. — diss. etc.*, Haiae 1824.

Verum ab altera parte multi, revera inter se pugnare Evangelistas, in JESU resurrectione e mortuis enarranda, statuerunt. Nullam rationem habens eorum, quae antiquiori aevo contra CELSUM aliosque jam monuerant interpretes, praecedente saeculo *anonymi* dubia, contra historiam de JESU in vitam reditu mota, edidit LESSINGIUS, quorum quinque priora rem, de qua agimus, spectant. Etsi autem illi quoque multa egregia opposuerunt Viri Docti, iterum de harum narrationum fide historica detrahit STRAUSSIUS <sup>(1)</sup>, dubia jure movisse statuens *Fragmentorum Guelpherbytanorum* auctorem, eaque minime Apologetas et Harmonistas refutasse. In eo quidem consentire Evangelistas concedit, quod primum discipuli e mulieribus acceperint nuntium de aperto et vacuo sepulero; in caeteris vero a se invicem omnes discrepare, imo inter se pugnare, quod attinet ad consilium, quo sepulcrum adierint mulieres, ad harum numerum, temporisque punctum, quo iter susceperint, et ad caeteras, de quibus jam monuimus, *ἐναντιοφάνειας*. Rejicit artes Harmonistarum, verba *ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου* interpretantium: *orituro sole*, et quae sunt hujus generis plura. Porro discrimen, quod inter Evangelistas observatur, vario modo Angelorum numerum tradentes, tolli posse per Synecdochen negat, aut alio quodam modo. PETRUM bis sepulcrum adiisse monet, si a Johannea traditione separatam inspiciamus Lucanam; ex utriusque dictionis genere contra sequi ei videtur, Luc. XXIV: 12

(1) *Leb. Jesu*, II, 620 sqq.

et Joh. XX: 5—10 idem factum narrari, unde seque-  
retur, utriusque narrationem de mulieribus redeunti-  
bus conjungendam atque unam eandemque esse; qua  
assumpta sententia, plane inter se pugnare ab utroque  
relata, statuit. Tandem valde ei displicet modus, quo aliis  
mulieribus unus Angelus, aliis duo, PETRO et JOHANNI  
nullus, duo iterum MARIAE *Magdalenae*, postquam illi  
abierant, Angeli apparuerunt, quod mirabilem prodeun-  
tium iterumque se occultantium ludum dicit («*Welch*  
» *wunderliches Versteckspielen der Engel!*»). Ut  
omnes has difficultates, ortas illas ex harmoniam quae-  
rendi studio, evitemus, quemque Evangelistam separa-  
tim interpretari nos jubet, quo fiet, ut semel, vel se-  
cundum JOHANNEM bis, sepulcrum adierint mulieres, ut  
unus, vel, secundum alios, duo semel iis apparuerint  
Angeli, ut unus vel duo discipuli sepulcrum inspexerint.  
Accuratius vero rem perpendenti mox ei patet, hanc  
interpretandi methodum aeque minus procedere, cum  
alterius narrationem altera excludat, neque umquam causa  
dari possit, qua factum sit, ut singuli Evangelistae  
diversam prorsus totius partem tradiderint, cumque  
singulae hae partes itidem pugnantia vel aperte conficta  
contineant. Sive igitur Evangelistarum de JESU in vitam  
reditu narrationes conjungas, sive separatim illas inspicias,  
semper, monente STRAUSSIO, eas non nisi *traditionem*  
quamdam (*nur traditionelle Berichte*) continere, profi-  
tendum erit<sup>(1)</sup>. Atque igitur nullam fidem illis tribuendam

---

(<sup>1</sup>) Cf. I. I. II, 639.

esse, sequitur ex iis, quae ipse statuit de ratione, qua judicari possit de indole alicujus narrationis historica (1).

III. Qua in re inique et summa injuria egisse STRAUSSUS censendus est. In profanis q. d. historicis dijudicandis regula illa minime valet, qua, si alter cum altero pugnet, ipsius rei veritas neganda esse censeatur; ita saltem magna historiae antiquae, recentioris, imo recentissimae pars nullam mereretur fidem, quum in minutissimis rebus inter se discrepare facti cujusdam narrationes, etiamsi ab *αὐτόπταις* referantur, unusquisque cognitum habeat. Ideo ipsa res negari non potest, sed inquirendum potius est, utrum, quae pugna animadvertitur, non nisi species pugnae rectius habeatur; aut optimo modo has narrationes conciliare oportet earum interpretem; »conciliatio quaerenda, nec facile sine bonis »libris, correctio tentanda. In quo admirandum est, »plus reverentiae tribui libris humanis, quam divinis. »Nam in illis, de antiquis loquimur, cum aliquid ejusmodi incidit, correctio aut conciliatio quaeritur, velut »*ἀναμάχητοι* fuerint: in his occasio arripitur carpendi »aut pervertendi vel scriptores, vel doctrinam ipsam." Quod quam vere dixerit summus ERNESTIUS (2), facile unusquisque videt, qui STRAUSSII historiam sacram interpretandi methodum comparaverit cum ea, quam alii in conciliandis antiquorum historicorum, LIVII, POLYBII, aliorum operibus, secuti sunt, ratione. Recte enim

---

(1) Cf. I. I. I, 117.

(2) *Instit. Interp. N. T. P. I, S. I, C. I, § 21.*

hi statuisse censendi sunt, scriptores, qui vera tradere et voluerint et potuerint, nonnumquam in diversas partes abire potuisse (1), ubi res traderent, quae non indivulso nexu conjunctae fuerint cum facto, in quo rei cardo versaretur; hoc enim obtinere potest, salva earum fide historica (2). At vero alii sunt, qui semper et ubivis dubitent, pugnam animadvertere sibi videantur, eamque tolli posse non facile sibi persuadeant (3), quibus STRAUSSIIUM annumerare licet. Videamus autem, quonam jure statuerit, Evangelistarum de re nostra narrationibus fidem esse denegandam.

Num igitur alter, Angelum apparuisse, affirmat, alter negat? Dicitne alter, plures sepulcrum adiisse mulieres, alter contra confirmat, *non nisi unam* iter instituisse mulierem? Num Angelum loquentem inducit alter Evangelista ea ratione, ut, quae apud alterum dixisse fertur, cum prioris narratione pugnent? Nonne, quod ex nonnul-

---

(1) Cf., quae de his monet S. F. N. MORUS, in *Aeroas. super Hermen. N. T.* ab EICHSTÄDTIO editis II, p. 28 sq.

(2) Conferri hic merentur, quae monuerunt Ven. P. VAN DER WILLIGEN, *over de schijnstrijdigheden* etc. in *Opp. Soc. Haganæ 1826*, p. 39 sq. THOLUCK, *Glaubw. der Ev. Gesch.* s. 444—463, praesertim s. 457 sqq. § 3.

(3) Acute de hisce THOLUCK, l. l. s. 460 dixit: »*welchen, wo sie auch hinsehen, die Zweifel wie mouches volantes vor den Augen fliegen, und denen sich daher auch insbesondere beim Lesen der heiligen Geschichte stets die Skrupel über jene Differenzen zwischen das Auge und das Glaubensobject drängen und den Glauben hindern.*»

lorum Evangelistarum narratione sponte patet, in vitam rediisse JESUM, idem caeterorum narrationum argumentum dicendum est? Quod ad summam rei attinet, consentiunt. Apparuerunt Angeli, at de numero non constat: abierunt mulieres, at de numero non conveniunt: JESUM in vitam rediisse tradiderunt Angeli, at in eorum verbis discrepantia cernitur. Haec omnia in concordiam redigi non possint, at quis ad ipsius rei *ἀξιολογίαν* stabilendam illud postulet? Ita autem narrationes, quarum argumentum exposuimus, inter se comparabimus, ut alteram alterâ suppleri et illustrari ostendamus, quae vero minus recte a nonnullis hac in re dicta sunt, simul referemus.

Contraria narrare MARCUM et LUCAM de tempore, quo unguenta emerint mulieres, jam monuit *Anonymus*, cujus fragmenta edidit LESSINGIUS. Silentio autem hoc dubium praetermittendum esse censemus, quippe quod cum re nostra nullo modo conjunctum sit. Constat aromatibus munitas mulieres sepulcrum adiisse. Quaeritur autem, quaenam illae fuerint, ad quam quaestionem respondendum est, MARIAM *Magdalenam* cum MARIA matre JACOBI et JOSIS iter instituisse (Matth.), quibus cum a MARCO SALOME, a LUCA JOHANNA addatur, nulla justa causa dari potest, ob quam has cum illis profectas esse negemus. MATTHAEUS et LUCAS quidem SALOMEN aequè minus commemorant, ac MARCUS et MATTHAEUS JOHANNAE mentionem injiciunt. Verum quam multa tacet alter, quae alter tradit Evangelista, quaeque illum scivisse negare vix licet, quocirca, si *e silentio* argumentum sumere vellemus contra alicujus rei fidem historicam,

multa ex Evangeliiis, multa ex omnis aevi historicorum scriptis essent eruenda. Valet hoc in primis de JOHANNE, qui, etsi unam MARIAM *Magdalenam* commemorat (XX: 1), ideo minime a caeteris discrepare censendus est, sed ita ab iis suppleri, ut, quae brevius tradit de una muliere, ex priorum Evangelistarum narrationibus illustrentur. Favent nobis, ut supra <sup>(1)</sup> monuimus, ipsius MARIAE verba apud JOHANNEM: *καὶ οὐκ οἶδαμεν κτλ.*, quibus ipsa tacite, plures adfuisse simul mulieres, significare videtur. Aut fortasse nonnulli existiment, JOHANNEM caeterarum mulierum necessario mentionem injicere *debuisse*, quod tamen semper probatu difficile, saepiusque, si concedatur, periculi plenum est. Unusquisque enim scriptor liber sit necesse est in delectu rerum enarrandarum, praesertim si non antea diserte affirmaverit, *omnia* se esse narraturum. Quocirca nullo jure statuit STRAUSSIVS, argumentum *e silentio* nonnumquam peti posse contra narrationis alicujus fidem historicam <sup>(2)</sup>.

Abierunt hae mulieres, quas nonnullas alias comitatas esse dicit LUCAS, matutino tempore, quum sol jam ortus

---

(1) Pag. 45.

(2) L. I. I. 118. *Es fragt sich, wiefern zu den Widersprüchen der Berichte auch das zu zählen ist, wenn der eine von etwas schweigt, was der andere meldet? An sich und ohne Weiteres gilt ein solches argumentum ex silentio gewiss nicht; wohl aber dann, wenn sich beweisen lässt, dass der andre Referent, wenn er von der Sache gewusst, sie hätte berühren und wenn sie vorgefallen, von ihr wissen müssen.* Egregie haec refutantur iis, quae monuit Ven. V. D. WILLIGEN, l. l. p. 207 sqq.

esset, neque tamen ita luceret, ut diurnum hoc iter dici possit. Tempus illud significamus, quo tenebras fugat Aurora, de quo JOHANNES quidem, σκοτίας ἔτι οὐσῆς, LUCAS, ὄρθρου βαθέος, MATTHAEUS, τῆ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων, MARCUS vero, λίαν πρωῖ — ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου, optime dicere potuit, quum matutini temporis notio, monente FRITZSCHIO, sit, quam vocant, *relativa*. Accuratius omnino in tempore definiendo convenissent Evangelistae, si alter quae scripsisset, cum altero communicasset; considerantes vero, eos, postquam magnum praeterierat temporis spatium, haec scripto mandasse, miramur sane, in minutissima re eos ita convenire, miramur item, plures interpretes de pugna adeo conquestos esse.

Aliam rationem secuti sunt nonnulli <sup>(1)</sup>, ut Evangelistarum de numero feminarum et tempore, quo abierint, in concordiam redigerent narrationes, statuentes, per varias vias, vario tempore, ex urbe prodiisse mulieres, et deinde convenisse prope sepulcrum. Ipsa tamen res et ratio contrarium docere videntur. Quid? quod minime iis favent Evangelistarum narrationes, qui mulieres in via inter se sermones conseruisse tradunt, eodem consilio ductas, ut corpus JESU aromatibus, quae secum portabant, unguerent. Plura quidem hisce objecit *Anonymus*, a LESSINGIO editus, cui et ipse adstipulatus est <sup>(2)</sup>; verum MARCUS totidem verbis hujus consilii mentionem

(1) E. g. PAULUS, *Ereg. Handb.* III, s. 324.

(2) Cf. ejus *Duplik.*



facit, ἵνα ἔλθοῦσαι ἀλείψωσιν αὐτὸν (XVI: 1), et LUCAS idem spectavit, verbis usus φέρουσαι ἃ ἠτοίμασαν ἀρώματα (XXIV: 1); quaeque porro ab adversariis de hisce monita sunt, nostras de JESU in vitam reditu narrationes minime spectant <sup>(1)</sup>. Cum igitur idem sibi proposuissent mulieres, una ex urbe exierunt <sup>(2)</sup>, verum propius accedentes, magnae molis saxi memores factae sunt, quod ad sepulcrum Domini advolutum esse sciverunt (Marc.), quocirca sollicitae quaesiverunt: τίς ἀποκλύσει

---

(1) Omnes fere, qui *Fragmentorum Guelpherbyt.* auctorem refutandum sibi sumserunt, varia fortuna usi, de hac repugnancia egerunt, ratione in primis habita eorum, quae antea monuerunt Matth. XXVII: 57—61, Marc. XV: 42—47, Luc. XXIII: 50—56, Joh. XIX: 38—42. Missa haec fecit STRAUSSIUS, ubi de JESU in vitam reditu agit, neque nostrum est, de hac repugnancia agere.

(2) Ubi in concordiam redigere nostras narrationes conatur K. H. SACK, *Christliche Apologetik*, s. 126 sq. MARIAM Magdalenam solam, omnium primum sepulcrum adiisse statuit, quod tamen Synopticorum narrationes minime suadere videntur. Quae monet SACK, s. 128, nota: »Mir scheint indess das Allein- und frühere Hingehen der »Maria durch Johannes mehr bestätigt, als das Zusammensein »durch die andern Evangelisten auch nur bestimmt gesagt,“ pugnare mihi videntur cum proxime antecedentibus ejusdem verbis: »ὄν οὐδαμην. Wenn diess auch nicht zu übersetzen wäre, ich »weiss nicht, oder zu lesen οὐδαμην: so deutete es höchstens auf »ein anfängliches Zusammensein der Maria mit den Frauen, wel- »che sie aber sogleich verliess, um Petrus und Johannes zu benach- »richtigen.“ Concedit igitur aliquatenus, initio MARIAM cum caeteris profectam esse, quod si verum est, minime sola ex urbe, antequam caeterae sepulcrum adierant, exiit.

ἡμῶν τὸν λίθον ἐκ τῆς θύρας τοῦ μνημείου; Nemo fortasse aderat, qui opem iis ferret, imo frustra carissimi defuncti corpus ultima vice honore afficere conaturae fuissent! At, quid vident? Ecce! saxum devolutum aditum omnibus concedit, neque impedit, quominus intrent, quibus visis eas vehementer laetari simulque obstupescere, quis miretur? Quid de hisce cogitandum sit nesciunt, at alia ratione aliae. Etenim diversa jam narrare Evangelistas sponte patet, praesertim a Synopticis recedere JOHANNEM, cujus narratio egregie supplet et illustrat ea, quae caeteri tradunt. Namque, saxo devoluto viso, ut narrat JOHANNES (XX: 1, καὶ βλέπει τὸν λίθον ἠρμένον ἐκ τοῦ μνημείου· τρέχει οὖν κτλ.), ad urbem rediit MARIA *Magdalena*, ut PETRUM et JOHANNEM adiret, quibus ea, quae suspicata erat, his verbis annunciat: »ἤραν τὸν Κύριον ἐκ τοῦ μνημείου, καὶ οὐκ οἶδαμεν ποῦ ἔθηκαν αὐτόν.» His auditis, uterque ἐξῆλθεν — καὶ ἤρχοντο εἰς τὸ μνημεῖον. At magna voce multi clamare, me Synopticis vim inferre, mihi videntur, quum aperte MATTHAEUS, MARCUS et LUCAS docere videantur, cum Angelis locutam esse MARIAM, antequam ad urbem redierit; quid? quod MATTHAEUS etiam Dominum ei apparuisse tradit! Acerbe hanc Evangelistas in concordiam redigendi rationem carpit LESSINGIUS <sup>(1)</sup>,

(1) Duplik: »Mein Johannes lässt die Magdalena ganz allein zum »Grabe gehen, und weiss von keinen Begleiterinnen, die sie so über»eilt, auf den ersten Anblick des eröffneten Grabes, verlassen »hätte. — Bey dem Johannes ist sie weder so unhöflich, noch so

novamque sic oriri pugnam LUCAM inter et JOHANNEM, statuit STRAUSSIIUS (1). Monet hic, PETRUM sepulcrum adisse, postquam in urbem rediissent mulieres (Luc.), MARIAM *Magd.* vero antea jam cum PETRO convenisse, ita ut cum illo JOHANNES, prouti in Evangelio ipse narrat, statim sepulcrum visitaverit, atque igitur bis hoc iter fecisse PETRUM; sed quia verbotenus fere conveniunt ea, quae LUCAS et JOHANNES de PETRO referunt, haec conjungenda censet, quo fit, ut MARIAM separatim a caeteris mulieribus, aut antequam illae rediissent, reducem factam esse, nequaquam statuere possis.

Quod ad LESSINGII objectionem attinet, cum JOHANNIS verbis nostra interpretatio minime pugnat; etenim, prouti modo vidimus, ipse dicit: βλέπει — ἔχει οὐκ ἔτι. Utrum vero recte an male egerit MARIA *Magdalena*, quod non accurate sepulcrum inspexerit, caeterasque mulieres non comitata sit, minime quaerendum esse censemus, quum potius, quid factum sit, quam rectene factum sit, quaeri debeat; neque mirum videri potest, feminam, in rebus dubiis et gravibus,

---

» unbesonnen. — Ihr Betragen ist immer gleich unbegreiflich: in-  
» dem schwerlich ein Weib aus Furcht wegläuft, wo sie sieht, dass  
» mehrere ihres Geschlechts stehen bleiben; oder auch mehr Weiber  
» schwerlich stehen bleiben, wo sie sehen, dass Eine aus Furcht  
» davon läuft. Aber es ist ja so sichtbar, warum Maria Magda-  
» lena eine so lächerlich furchtsame Rolle spielen muss, — und  
» du wirst darüber — arme Magdalene? — die Harlequinin der  
» Harmonie.”

(1) L. l. II, 625 sq.

auxilium potius expectasse a viris amicis placidisque, quam a mulierculis timentibus et pavidis (1). Eorum, quae monuit STRAUSSIUS, mox rationem habebimus, jam vero videamus de illis mulieribus, quae accuratius sepulcrum inspicere ausae sunt. Saxum a sepulcro devolutum invenerunt, referente LUCA, καὶ εἰσελθούσαι οὐχ εὔρον τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ. Prioris causam MATTHAEUS tradit, alterius vero, quod corpus non invenerunt mulieres, Angelus. Priusquam ad sepulcrum venerant, Angelus e caelo descendens, cum terrae motu, saxum removerat; milites autem, quos, ut sepulcrum custodirent, a PILATO petierant senatores Judaeorum, metuentes fugerant, quibus mulieres in itinere occurrisse non videntur. Timentes illae introeunt, quas, cum frustra corpus JESU quaerent, Angeli alloquuntur, qui JESUM in vitam rediisse dicunt, prouti Ipse praedixerat, monentque, ut cum discipulis haec communicent. In hisce discrimen observatur inter Evangelistas. Quem MATTHAEUS dicit ἄγγελον, MARCUS dicit νεανίσκον; quos JOHANNES vocat ἀγγέλους, LUCAS vocat ἄνδρας; qua in discrepantia nonnulli argumentum quaesierunt, ut homines loquentes hic induci statuerent. Prouti vero alter alterum illustrat Evangelista, ita quoque νεανίσκον et ἄνδρας pro Angelis haberi posse statuimus, in pri-

(1) PAULUS, in *Exeg. Handb.*, totam MARIAE Magd. agendi rationem ex pristina ejus animi conditione, morbo affecti, repetit: »wie es,“ inquit, »mit ihrem sonstigen nervenkranken, leicht erregbaren Zustand, übereinkommt, l. l. p. 325.

mis cum, humanâ formâ indutâ, pulcerrimam certe assumserint; quae virorum juvenili aetati propria est. In ipsius MARCI vel LUCAE verbis nihil porro inest, cui haec interpretatio repugnet, imo qui s. 4, ἀνδρας commemorat, idem ille LUCAS s. 23, ὀπτασίαν ἀγγέλων habuisse mulieres monet, CLEOPAE verba referens, atque ita antecedentia illustrans (1). Praeterea de numero differunt horum nuntiorum, quorum unum commemorant MATTHAEUS et MARCUS, duos LUCAS et JOHANNES, quod discrimen quam plurimi pugnam dicunt, sine dubio statuentes, MATTHAEUM et MARCUM plures commemorare debuisse, si uno plures adfuissent. Sed quae MATTHAEUS narrat, minime ea excludunt, quae LUCAS habet. Causam quidem quaerere licet, ob quam unius tantum Angeli mentionem injiciant MATTHAEUS et MARCUS, quam alii in eo invenerunt, quod loquentis verbaque facientis Angeli unice rationem habeant, alii, quod introeuntes unum ad dextram, exeuntes e sepulcro ad sinistram unum viderint. Seu alterum in sepulcro, extra sepulcrum alterum sedisse, quem intrantes aut extrinsecus adstantes mulieres solum viderint, statuerunt alii. Deinceps igitur, quem solum vidissent, illum tantum commemoraverint mulieres. Prius nobis magis placet, quam duos certe adfuisse Angelos verosimile sit. Monuit jam ORIGENES non eorundem Angelorum mentionem hic fieri; LUCAM vero errasse statuit MICHAËLIS; quam

(1) Cf. omnino Disp. Cl. J. HERINGAE, EL. F., over de Engelen, 1811, a Soc. Hagana praemio ornata, p. 175—181.

LÜCKIUS solvi posse hanc repugnantiam negat ; sed adversariis numquam satisfacere poterimus, qui, propter numeri differentiam, totam rem negant, et nescire videntur, Evangelistas veri studiosos, nisi Angeli adfuerint, nequaquam de eorum numero inter se discrepare potuisse. Tandem etiam Angelorum verba ad literam non conveniunt, quod vero ad summam rei attinet eodem redeunt, neque mirum est, mulieres, quae jam tremore afficiebantur, deinceps *singulorum* verborum non meminisse, ubi cum aliis communicarent, quae ex Angelis audiverant. Denique Angelos *in sepulcro* adstantes proponit LUCAS ; *in saxo* conederat ille, quem loquentem MATTHAEUS inducit, at vero sepulcrum eum introiisse, innuere videntur ipsius verba ad mulieres: δεῦτε, ἴδετε τὸν τόπον, κτλ.; quod apud MARCUM καθήμενος dicitur, nullam movet difficultatem. Atque ita anxie inquisivimus in ea, quae de Angelis nobiscum communicant Evangelistae, de quibus loquentem audire mallems LESSINGIUM <sup>(1)</sup>,

(1) Duplik: Was? es wäre den Evangelisten nicht anständiger, wenn ich sagte: kalte Widerspruchklauber! seht ihr denn nicht, dass die Evangelisten die Engel nicht zählen? Das ganze Grab, die ganze weite Gegend um das Grab wimmelte unsichtbar von Engeln. Da waren nicht nur zwei Engel, (gleich als ein Paar Grenadier, die vor der Behausung des abmarschirten Generals zurückgelassen werden, bis sein ganzes Gepäck abgeführt worden;) da waren deren Millionen. Es erschien nicht immer der eine und derselbe; nicht immer die nehmlichen zwey. Bald erschien der, bald jener; bald an dieser Stelle, bald an einer andere; bald allein, bald in Gesellschaft; bald sagten sie das, bald jenes.

quam ejus *Anonymum*, vel STRAUSSIIUM, studiose repugnantiam exponentes. Quod autem attinet ad mulieres, Angeli verbis auditis, ad urbem redeunt μετὰ φόβον καὶ χαρᾶς μεγάλης, uti MATTHAEUS tradit; quodque MARCUS ita exprimit: εἶχε δε αὐτὰς τρόμος καὶ ἔκστασις, qui metus tremorque effecerunt, ut inter se nullum verbum emitterent, ἐφοβοῦντο γὰρ; earum gaudium praesertim ex eo repetendum est, quod, quae ex Angelis audiverant, ab ipso JESU praedicta esse jam meminissent, nam referente LUCA ἐμνήσθησαν τῶν ῥημάτων αὐτοῦ (Luc. XXIV: 6—8).

Pervenerat interea MARIA *Magdalena* ad PETRUM et JOHANNEM, postquam nihil aliud, nisi saxum devolutum, viderat. Negandum enim esse putamus, quod e. c. statuit J. C. VELTHUSEN <sup>(1)</sup>, eam vidisse Angelum, cujus verbis auditis, minime dicere potuisset: ἦραν τὸν Κύριον. Quid? quod, hac assumpta sententia, si MATTHAEI verba ad literam accipere vellemus, cum HIERONYMO <sup>(2)</sup> statuendum esset, eam Dominum vidisse, antequam PETRUM et JOHANNEM adiret, quod nequaquam cum iis congruit, quae tradit JOHANNES. Hic, ut ipse narrat, cum PETRO sepulcrum adit, uterque inspicit, lintea sepulcralia videt, quibus factum est, ut revera in vitam rediisse

---

<sup>(1)</sup> *Historia Resurr. Christi ex diversis commentariis probabiliter contexta et insertis subinde animadversionibus illustrata atque confirmata*, 1780, repetita in *Comm. Theoll.* quas cum KUINOELIO et RUPERTIO edidit, Vol. IV, p. 110 sqq.

<sup>(2)</sup> *Epist. ad HEDIBIAM.*

JESUM crederet JOHANNES, et una cum PETRO Hierosolyma rediret. Eadem fere LUCAS tradit, at plura conjungit, quae separatim spectanda esse nos docet narratio Johannea. Redierunt enim, quae sepulcrum adierant, mulieres, Luc. XXIV: 9, quaeque viderant, cum Apostolis caeterisque discipulis communicarunt; varia autem quum vidissent, diversa quoque narrarunt; universe autem fidem iis denegarunt discipuli. His jam addit LUCAS s. 12: *ὁ δε Πέτρος ἀναστὰς ἔδραμεν ἐπὶ τὸ μνημεῖον*, qui locus a JOHANNE, qui *αὐτόπτης* ipse interfuit, egregie illustratur. Etenim patet, Luc. XXIV: 12 minime indivulso nexu cum tribus antecedentibus sectionibus cohaerere, neque ex iis pendere, sed, additamenti loco, LUCAM PETRI ad sepulcrum itineris mentionem fecisse. Sic PETRUS *θαυμάζων τὸ γεγονός* idem est, qui, prouti ex disjunctis apud JOHANNEM tuto efficitur, nondum *ἐπίστευσεν* (Luc. XXIV: 12. Joh. XX: 8. coll. 10). Quaerentibus num Angelos viderint PETRUS et JOHANNES, utrum mulieribus, Hierosolyma redeuntibus, obvii facti sint <sup>(1)</sup>, quare jam Angeli coram discipulis non prodierint, mox iterum MARIAE apparuerint, Evangelistae non respondent, neque ad eos attendere nostrum est, etsi ejusmodi multas moveri posse diffi-

---

(<sup>1</sup>) SACK, l. l. s. 128, statuit, mulieres tum demum ad sepulcrum pervenisse, quum altera vice ex urbe rediisset MARIA, quod cum supra laudata ejus sententia recte quidem convenit, at minus bene ex LUCAE JOHANNISQUE narratione efficitur, ut sponte unicuique patet.



cultates jactant adversarii. Quum enim in concordiam unice redigamus narrationes, quas scripto mandarunt Evangelistae, eorum minime rationem habemus, quae dein addunt alii, ut novas inde repugnantias eliciant.

Objiciant nonnulli, MATTHAENUM et MARCUM nullam mentionem fecisse MARIAE *Magdalenae*, ad urbem redeuntis, contra diserte eos tradidisse, de JESU e sepulcro redivivo cum ea quoque locutos esse Angelos; imo MARIAE apparuisse ipsum Dominum, antequam PETRUM et JOHANNEM adierat, docere videtur Matth. XXVIII: 9. Facile autem fieri potuit, ut, quas primum una ex urbe exiisse tradiderint, dein una sepulcrum introiisse et cum JESU locutas fuisse narraverint, etsi interea retrogressa MARIA *Magdalena* separatim coelestes viderit nuntios. Quod videmus ex Johannea narratione; atque hinc factum est, ut sola viderit JESUM e mortuis resuscitatum, quod et MATTHAEUS tradit, licet hic plurali numero usus, brevius res narrando, plura conjunxerit, quae separatim spectanda esse caeterorum docet collatio.

Quae igitur singuli Evangelistae memoriae tradiderunt, etsi hic illic non prorsus conveniunt, egregie tamen in concordiam *et* redigi posse putamus, *et* componere conati sumus; quod, licet omnibus non satisfaciat, aut ab aliis fortasse melius factum sit, in eo tamen non prorsus repudiandum esse optamus, quod, quem singuli secuti sunt ordinem Evangelistae, conservavimus, neque quae ipsi praeterierunt, in harmoniam nostram inferre studuimus. Quod quo magis pateat, brevem sub-

jicere liceat harum *narrationum*, in concordiam redactarum, *conspectum*.

MATTHAEUS.

MARCUS.

LUCAS.

JOHANNES.

XXVIII: 1.

XVI: 1—3.

XXIV: 1.

XX: 1.

MARIA *Magd.* et MARIA *Magd.*, MARIA *Magd.*, JO- MARIA *Magd.* se-  
MARIA JAC. M. se- RIA JAC. M. et SA- HANNA et MARIA pulcrum adit.  
pulcrum adeunt. LOMEDESAXODEVOL- JAC. M. sepulcrum

vendo sollicitae se-  
pulcrum adeunt.

adeunt.

4.

2.

Saxum devolu-  
tum vident.

Saxum devolu-  
tum vident.

2—4.

Angelus saxum  
devolverat, fuga-  
veratque milites.

2.

Redit MARIA M.  
ad PETRUM et JO-  
HANNEM.

3.

Mulieres introe-  
untes cadaver non  
inveniunt.

5—7.

5—7.

4—7.

JESUM in vitam  
rediisse ex Angelo  
audiunt.

Juvenem seden-  
tem vident, de JE-  
SU in vitam reditu  
eas certiores red-  
dentem.

Duos conspiciunt  
viro, qui, JESUM  
in vitam rediisse,  
iis annunciant.

8.	8.	8—11.
Metuentes et gaudentes cum discipulis omnia communicare sibi proponunt.	Metu correptae ad urbem redeunt.	JESU verborum memores discipulis, fidem iis denegantibus, visa auditaque annunciant.
		12.
		3—10.
	Sepulcrum visitat PETRUS.	PETRUS et JOHANNES, ipsi ut in rem inquirant, sepulcrum adeunt.
		11—13.
		Reversa ad sepulcrum MARIA duos conspicit Angelos.

Caeterum multa, quae STRAUSSIIUS movit, dubia nullum nobis afferunt incommodum, quippe orta ex perverso modo, quo totam rem proposuit, quem emendare studuimus. Dictum hoc quoque sit de WEISSII (1), has narrationes exponentis, ratione, quem critices cultro abuti non puduit, quique Evangelistas res tradidisse proponit ordine et consilio, quod saeculi XIX philosopho, quam saec. I historicis scriptoribus tribuere malimus. Quod attinet ad ea, quae de PETRI itinere STRAUSSIIUS statuisset supra monuimus, satis ea refutari censemus nostrâ Evangelistas in concordiam redigendi methodo, cui

---

(1) *Evangelische Geschichte*, II, 344 sqq.

»die gewöhnlichen grammatischen u. a. Kunststücke  
»der Harmonistik“ accessisse, ne dicat ille, qui, ut  
repugnantias inveniatur, artes ipse adhibet; nec certe de  
nobis valet, quod, ut Harmoniam criminaretur, porro  
animadvertit <sup>(1)</sup>: »Um diesem unstillen Hinundher-  
»rennen der Jünger und Frauen, dem phantasma-  
»gorischen Erscheinen, Verschwinden und Wie-  
»dererscheinen der Engel, und der zwecklosen Hän-  
»fung der Erscheinungen JESU vor derselben Person,  
»wie sie bei dieser harmonistischen Methode heraus-  
»kommt su entgehen,“ etc. At, ut STRAUSSIO satis-  
fecerim, metuo, etiamsi egregie in concordiam redigan-  
tur Evangelistarum de JESU in vitam reditu narrationes;  
nam, quod ipse profitetur, insunt, quae, quominus harum  
narrationum indolem agnoscat historicam, vehementer eum  
impediunt, de quibus jam videamus.

§ 2.

*His narrationibus nihil inest, quod fieri  
non potuerit.*

Statuit STRAUSSIUS <sup>(2)</sup>: »dass ein Bericht nicht  
»historisch, etwas Erzähltes nicht so geschehen sein  
»können, wird sich vor Allem daran erkennen lassen,  
»wenn es mit den bekannten und sonst überall gel-  
»tenden Gesetzen des Geschehens unvereinbar ist. —

(1) L. I. II, s. 623, 627.

(2) L. I. I, 116,

» *Sofern überhaupt die Einmischung von Wesen einer  
höhern Geisterwelt in die menschliche sich theils  
nur in unverbürgten Berichten findet, theils mit  
richtigen Begriffen unvereinbar ist: so kann auch,  
was von Engel- und Teufels-Erscheinungen und  
Einwirkungen berichtet wird, unmöglich geschich-  
tlich genommen werden.*” His armis usus narrationes  
de Angelis, quos mulieres conspexerint, aggressus est.

Lubenter ei concedimus, fidem iis, externa non sanc-  
citis auctoritate, esse denegandam; omnino primum in-  
quirendum est, num ipsi narrationum auctores fide digni  
sint, et de vero testimonium dare voluerint et potuerint.  
Ubi hoc conceditur, fides habeatur iis, quae tradunt;  
ubi negari debet, parvi faciamus ejusmodi narrationes,  
illas quoque, quae de Angelophaniis verba faciunt. Jam  
vero sponte patet, propter ipsam Angelophaniarum in-  
jectam mentionem, minime alicui scriptori fidem esse  
denegandam, ubi auctoritate sancita est ejus narratio,  
atque prae omnibus decere germanum philosophum, a  
praejudicatis opinionibus liberum, in verum inquirere;  
historicum autem oportere, potius quid factum sit,  
quam quid fieri potuerit, prius quid tradant scriptores,  
quam quid tradere debuerint, pervestigare. Accuratae  
sane crisi subjiciat historiam, sed ea tantum falsa et  
cum veritate pugnantia habeat, quae dubia auctoritate  
nitantur, aut aperte a fide dignis testibus negentur. At  
nemini concedimus, qui ad historiam interpretandam  
manum admoverit, privas sibi opiniones mente conci-  
pere, quas totidem regulas historiae praescribat, ut

ita, quid factum sit, quid non, quid fieri potuerit, quid non potuerit, apud eum constet, antequam ipsam historiam indagaverit. Construit iste historiam, non vero exponit; doceat illa, non vero detorqueatur. Est omnino error, nostro aevo, philosophis studiis indulgenti, proprius, ut nimis subjectivo q. d. sensui tribuatur, cujus rei plurima exempla tum in historia, tum in critica, in primis altiore, tractanda, praesto sunt, cujus et STRAUSSIIUS testis est, qui Angelophanias nullo modo historice accipi posse statuit, quandoquidem eas » cum sanae » mentis opinionibus conjungi posse” negat. » Non quasi » mentis sanae decreta,” ut monuit Cl. SCHOLTEN <sup>(1)</sup>, » parvi sint existimanda, sed est hoc ipsum, quod primum est quaerendum, num haec, quae mentis sanae » dictata habeantur, et dici verissimo vocis sensu omni- » que ex parte sana mercantur, id quod humanae intel- » ligentiae imbecillitatis habita ratione, a priori jam » parum est probabile, a posteriori historiae auctoritate » est negandum.” Quaerenti vero, sintne Angeli? affirmando respondendum videtur cum HASIO <sup>(2)</sup>: » *Bei der » Unendlichkeit des Seyns ist wahrscheinlich, dass » es auch in ihrem ursprünglichen Seyn reicher aus- » gestattet und durch die Gebrechen des Körpers » minder gebundne Wesen giebt als der Mensch*” et

---

<sup>(1)</sup> Oratio de vitando in J. C. historia interpretanda Docetismo, p. 34 (4).

<sup>(2)</sup> *Evang. Dogmatik*, ed. 2, 239.

cum SCHLEIERMACHERO <sup>(1)</sup>, quod de Angelis doctrina »auf der einen Seite weder etwas unmögliches in »sich schliesst, noch mit der Grundlage alles Gott- »gläubigen Bewusstseyns im Widerspruch steht.“ Docent sacri Scriptores, eos Dei ministros nonnumquam hominibus videndos se praebuisse; quod facile damus, quum recte monet HASIUS: »Die Philosophie hat keine »bestimmten Gründe ihren Einfluss auf die Men- »schenwelt für unmöglich zu erklären, soweit da- »durch weder die Göttliche Vorsehung beschränkt, »noch die menschliche Freiheit aufgehoben wird,“ neque ex eo, quod non amplius cum hominibus versari Angelos videmus, concludere licet, numquam eos cum hominibus versatos esse. Quocirca duo sunt, quae male statuit STRAUSSIIUS: *primum*, Angelophanias minime cum sanae mentis opinionibus convenire, qua in re Logicam minime sibi faventem habet; *alterum*, ideo nulla fide narrationes dignas esse, quae Angelos cum hominibus versatos esse tradunt; etenim quod nondum probavit, simul criterium ei est indolis non historicae alicujus narrationis, atque *a priori* de re in facto posita iudicium ferre ausus est.

Quod si STRAUSSIO jam concedamus, quaerimus, quid tandem de narrationum nostrarum argumento sit cogitandum. De Angelis loquuntur; at non sint Angeli, aut certe conspiciendos se non praebuerint; quocirca de hominibus cogitandum est, sive JESU amicis, sive ini-

---

(1) Christl. Glaube § 42.

miciis. Inimici certe non fuerunt, et, si de amicis cogitamus, quidni de Essenis? STRAUSSIIUM (¹) audias, de hac interpretatione monentem: »und was dergleichen aus »der Mode gekommene Vermuthungen eines BAHRDT-»isch-VENTURINI-schen Pragmatismus mehr sind!« Ita in mediis Naturalistarum interpretationibus versaris, ut adeo de fulmine alium, aut de terrae motu, de linteis et fasciis sepulcralibus alium loquentem audias (²), quod autem interpretandi genus acerbe carpit ipse STRAUSSIIUS. Ille igitur, qui LUCAE narrationi fidem fere deneget, quod Angeli mentionem faciat, eatenus recte Angelorum munus interpretatus est, quatenus scripsit: »die »Engel gehörten zur Verherrlichung der grossen »Scene, als himmlische Dienerschaft, welche dem »Messias die Thür aufzuthun hatte, durch welche »er ausgehen wollte; als Ehrenwache an der Stelle, »welche der Getödtete so eben lebendig verlassen hatte;« minus recte autem quaerenti: »gibt es einen solchen »Prunk in dem wirklichen Haushalte Gottes, oder »nur in der kindlichen Vorstellung, welche sich die »Vorzeit von demselben machte,« negando ad priorem; affirmando ad alteram quaestionis partem respondendum esse censet.

Ut revera Angelos se conspiciendos praebuisse neget

---

(¹) L. I. II, 636 sqq.

(²) Cf. Cl. BERINGA l. I. de Angelis, p. 183 sqq., ubi hujus generis interpretationes commemorat, et Angelorum hac in re munus exponit.



PAULUS <sup>(1)</sup>, »Liegt denn,“ quaerit, »die Wohnung der Engel im Wolkenhimmel? im Zenit von Jerusalem?“ cujus dubitantis objectionis vim non perspicimus; nam si e. c. e terra prodiissent, eodem jure quaesivisset: »Liegt denn die Wohnung der Engel in das Unterirdische? im Nadir von Jerusalem?“ Ἐξ οὐρανοῦ descendit Angelus, secundum MATTHAENUM; num inde sequitur, domicilium suum Angelos habere in loco quodam supra Hierosolyma? Jejuna sane naturalistae interpretatio!

Recte igitur concludere nobis videmur, harum narrationum fidei historicae nihil eo detrahi, quod Angelophaniam commemorent, cum revera mulieres Angelos vidisse, jure negari non possit, quidquid moneat HASIUS <sup>(2)</sup>, qui sententiam, alibi <sup>(3)</sup> a se propositam his verbis: »die Engel bei der Auferstehung scheinen der Ge-

(1) Exeg. Handb. III, 855.

(2) Leb Jesu, ed. 3, p. 218. »Die Engel am Grabe, Matth. »XXVIII: 2 s. 5 s., Joh. XX: 12 s. könnten zwar, wenn auch nicht »aus Naturerscheinungen oder Visionen natürlich erklärt, doch »nach Marc. XVI: 5, Luc. XXIV: 4, für Menschen gehalten werden, »aber die Erzählungen von ihnen sind so widersprechend, und ihr »Geschäft, abgesehen von der einen Darstellung des Matthaeus [XXVIII: 2] »und von dem Bruchstücke des Marcus [XVI: 6 s.], die gegenüber »den andern Evangelien hier nicht das Gepräge des Ursprünglicheren »tragen, ist so vergeblich, dass sie nach Massgabe anderer Engeler- »scheinungen einer frühen, sagenhaften Ausschmückung anzugehö- »ren scheinen.“ Cf. scriptores ab eo laudati, ib. p. 219 m. n.

(3) Er. Dogm. p. 215.

»*schichte anzugehören*,» mutasse videtur. Mythicam vero indolem narrationes nostrae hanc ob causam non referunt, quod, a testibus fide dignis originem eas ducere, valde probabile nobis videatur.

§ 3.

*A testibus fide dignis hae narrationes originem ducunt.*

Quas exposuimus narrationes, inter se convenire, nihilque cum sana ratione pugnans continere vidimus, quod, ut iis fidem habeamus, omnino nos suadeat, si constet, Evangelistas totam rem, ne dicam excogitasse, certe non exornasse. Quominus autem omnia, quae de JESU in vitam reditu hucusque eos narrare audivimus, statuamus, mente eos excogitasse, prohibet ipsarum narrationum discrepantia. Etenim, qui accurate eas comparat, statim videt, ita diversa tradere non potuisse quatuor fraudatores, qui haec fingendi causa secum invicem antea convenissent. Quis hodie hoc statuerit? At exornarunt fortasse vel de industria, aut sine doli studio, quaecunque vel viderunt vel ex aliis acceperunt? Neque hoc verosimile est, nam simplicem indolem referentes, qui tandem exornare potuissent narrationes, quibus nihil inest, quod ornatum redolet. Fuerit Angelophania, quam addiderint; at vero, cur Angeli non populo aut Synedrion, ut ab aliquo animadversum me videre memini, sed mulieribus tantum annunciant, Dominum in vitam rediisse? Simplices mulieres, nec praeter eas ullum

alium, ne amicos quidem defuncti, adeunt Angeli. Quasnam vero testes adducunt Evangelistae? Tres quatuorve mulieres, quibus ignotae fortasse interfuerunt aliae. Quam stulte etiam rem proponunt, nullo teste factam, neque ulla applaudente *αὐτόπτων* corona. » Quod » vero Evangelistae” (verbis utor WERENFELSI (1)) » non » plures nobis producent resurrectionis JESU testes, » in hoc agnoscere debemus summum eorum candorem. » Cum enim huic facto totam religionem suam superstru- » ant, cur non fingunt JESUM resurrexisse, praesentibus et » videntibus multis hominum millibus, quod de aliis mira- » culis dicere non verentur? Cur non tot testes produ- » cunt resurrectionis CHRISTI, quot effusionis Spiritus S. » in Apostolos, die Pentecostes? Cur ne quidem fingunt, » JESUM resurrexisse, ut ascendit, videntibus omnibus dis- » cipulis? — Qui nasum habet, manifestum hic deprehendit » characterem candidissimi Historici.” In hisce narrationibus nullum deprehendimus vestigium *Traditionis*, quam voce technica Germani dicunt (2). At Evangeliorum, quae antiqua ecclesia nobis tradidit, nullum, monente

(1) *Opusc. Theoll.* ed. 2, I, p. 90 sq.

(2) THEILIO, *zur Biographie Jesu*, s. 71 (14) igitur minime as-  
sentiendum est, statuenti: » Matth. XVIII: 1—10 *erscheint, ausser*  
» *einer wahrscheinlich historischen Ergänzung* (v. 1, vgl. Joh. vs. 2:  
» *οὐκ οἶδαμεν*) *traditionell — erweitert und unvollständig.* Luc.  
» XXIV: 1 ff. *ist theils traditionell — erweitert, theils traditi-*  
» *onell — unbestimmt.* Marc. XVI: 1—8 *ist — traditionell erwei-*  
» *tert. Ohne Anerkennung des Einflusses des Traditionellen auf die*  
» *Synopt. Evv. ist unmöglich die Berichte in Einklang zu bringen.”*

STRAUSSIO <sup>(1)</sup>, a JESU discipulo conscriptum est. Nonne igitur nostris temporibus luculenter probatum est, quid quid adversarii opponant, discipulum, *ὃν ἐπέλει ὁ Ἰησοῦς*, JOHANNEM ZEBEDAEI filium Evangelium conscripsisse? Iterum sane existit <sup>(2)</sup>, qui ANDREAE Apostolo magnam partem vindicaret quartum Canonis Evangelium, verum sit vox clamantis in deserto. Revera ejus auctor JOHANNES est, qui in nostra praesertim re eo magis idoneus testis est habendus, quo inde ab initio accuratius rem investigare potuerit. Ille enim una cum PETRO, a MARIA *Magdalena* admonitus, et sepulcrum inspexit, et procul dubio domum reversus ex eadem caetera audivit, cum antecedentibus egregie congruentia. Cum eo, quod ad rei summam attinet, conveniunt Synoptici: mulieres scilicet iter instituisse, vacuum fuisse sepulcrum, Angelos, quos PETRUS et JOHANNES non viderunt, cum mulieribus varia locutos esse tradentes; quid? quod ex omnibus patet, JESU in vitam reditum Angelos annunciasse, prouti et ipse JOHANNES credidit. Si in MATTHAEI Evangelium oculos convertimus, hic etiam sua, quae scripto mandavit, e mulieribus acceperit necesse est. » Quae vero idem de Angelo, » lapidem e foribus sepulcri amovente” (sunt GRIESBACHII <sup>(3)</sup> verba) » et de fuga custodum refert, ex MARIA

---

<sup>(1)</sup> L. l. II, 683.

<sup>(2)</sup> Cf. E. K. J. LÜTZELBERGER, *die kirchliche Tradition üb. d. Ap. Johannes und seine Schriften in ihrer Grundlosigkeit nachgewiesen*, Lips. 1840.

<sup>(3)</sup> Vid. J. J. GRIESBACH, *Progr. de fontibus, unde Evangelistae suas de*

» audivisse non potest. Haec enim scire poterat nemo,  
» praeter milites ipsos et eos, qui ab his ea acceperant.  
» Igitur vel miles aliquis ad sacra Christiana postea per-  
» ductus, MATTHAEO haec narravit, vel militis familiaris,  
» quae ex amico olim audiverat, evulgavit, vel senator  
» Judaeus, Christianam religionem postea amplexus, rem  
» patefecit.”

Nihil certe impedit, quominus GRIESBACHIO demus, LUCAM ea, quae narrat, accepisse e JOHANNA, quam solus commemorat (VIII: 3, XXIV: 10), licet caetera, quae vir doct. disputat, argutius scripsisse videatur. Ipse autem LUCAS procul dubio hujus narrationis auctor est habendus, et licet non omnia narraverit, vel sic tamen, quae narravit, non Commentarium diceremus in XXIV: 22, 23, propter has sectt. unice memoriae traditum, atque originem a CLEOPA ducentem. Haec, quam SCHLEIERMACHERUS <sup>(1)</sup> proposuit, sententia arcte cohaeret cum ejus opinione de pluribus narrationum Evangelicarum auctoribus, quas in compendium redegerit LUCAS; disquisitio vero de indole Evangelii LUCAE, et de iis, quae ipse in Evangelii initio de se professus est, minime eam confirmat aut comprobat.

MARCUM e MATTHAEO et LUCA suam confecisse narrationem minime GRIESBACHIO concedendum esse putamus, hanc in primis ob causam, quod priva sibi habeat mulierum

---

*resurrectione Domini narrationes hauserint*, ed. in ejus *Opusec. Acad.*  
a J. P. GABLERO, II, 247.

(1) *Ueber die Schriften des Lucas*, I, p. 296 sqq., cf. p. 250.

verba: *τίς ἀποκλύσει ἡμῶν τὸν λίθον ἐκ τῆς θύρας τοῦ μνημείου* (XVI: 3); quae, nisi ex una e mulieribus accepisset, referre non potuisset. E quam autem acceperit, quaerenti, respondere non possumus. E SALOME cl. PAULUS, in domo MARIAE, matris ejus, GRIESBACHIUS, haec audivisse MARCUM, statuit. At, ut recte monet FRITZSCHIUS <sup>(1)</sup>, res est ejusmodi, ut, quum argumentis ad certum redigi non possit, neque hariolationibus nonnullorum neque aliorum conjecturis, nimis argute propositis, favendum sit. Certe *αὐτόπτης* narravit cum caeterorum narratione convenientia, atque ei quoque testes fuerunt mulieres eorum, quae nobis de nuntio, JESUM in vitam rediisse, tradiderunt Dei ministri. Fide eas dignas diximus, quia mortuum quaerentes, eum vivere audiverunt, neque igitur ejusmodi quid antea excogitaverunt; quia Angeli verbis auditis, continuo discipulos adierunt, adeoque postea *et* Angelorum verborum *et* factorum non facile oblitae fuerint. Earum narrationem accurate nobis tradidisse Evangelistae ideo mihi videntur, quod et res erant summae gravitatis, et vel colloquendo, vel scripto nonnulla mandando in memoriam eas revocaverint. Omni fundamento caret STRAUSSII <sup>(2)</sup> conjectura, qua statuit, Apostolos, postquam de JESU in vitam reditu, at falso, sibi persuasisent, deinceps hoc, quam optime potuerint, exornasse. » *Der Hauptzierrath,*» inquit » *welcher zu diesem*

<sup>(1)</sup> *Comment.* ad Marc. XVI: 1.

<sup>(2)</sup> L. I. II, 694 sq.

» *Behuf zu Gebote stand, waren Engel: diese mussten daher das Grab Jesu eröffnet, nachdem er hervorgestiegen war, an der leeren Stätte Wache gehalten, und den Weibern, welche, weil ohne Zweifel Weiber die ersten Visionen gehabt hatten, zuerst zum Grabe gehen mussten, von dem Vorgefallenen Nachricht gegeben haben.* — Quidni, ut cum eo facere possemus, haec omnia probavit, aut saltem probare conatus est? Frustra autem quaeres! Aut fortasse nihil MATTHAEO tribuendum esse, Mythis omnia scaterere ostensum ivit? Scilicet eadem ratione, qua MEYERUS <sup>(1)</sup> Angelophaniam Mythum dixit; » *ein Cirkel im Beweise; — Möglichkeiten, die unbefugt zu Wirklichkeiten gesteigert werden. — Welche leichtfertige Verflüchtigung der Reinheit und schlichten Objectivität der Erzählung in die wichtigste und täuschendste Subjectivität — nicht der Sage, sondern phantastisch-pragmatischer Hypothese!*” Quod recte OSIANDERUS <sup>(2)</sup>. Quid autem ita sensisse STRAUSSIIUM miremur? Qui ubivis Mythos invenit, alios quoque eos excogitasse statuat necesse est. Verum quis est, quin magnam vim veritatis videat, » *quae,*” ut CICERO ait, » *contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque fictas omnium insidias facile se per se ipsam defendit.*”

Pervenimus ad Capitis I finem, quo, expositis Evan-

---

<sup>(1)</sup> L. I. II, 1. 167.

<sup>(2)</sup> *Apologie des Lebens Jesu*, p. 333 sq.

gelistarum de JESU in vitam reditu narrationibus, earumque probata fide historica, ita eas dijudicavimus, ut jam apud nos constet, Evangelistas nobis tradidisse, quod aliquando vere factum est, JESU nempe in vitam reditum mulieribus annunciasse Angelos, quo magis operae pretium est, ad ipsam illam JESU resuscitationem attendere, quum multi hodieque eam aggressi sint, qui, variis argumentis usi, eam labefactarent. Hucusque Angelos audivimus et mulieres, continuo Apostolos ab omni criminatione liberos videamus, ipsumque e sepulcro redivivum conspiciendum se iis praeuisse laetemur!

---

## CAPUT II.

### ARGUMENTA PRO REI VERITATE RECENSENTUR.

JESU e mortuis in vitam reditus, ut constat, doctrinae Apostolicae fundamentum est, eumque e sepulcro redivivum pluribus conspiciendum se praeuisse omnes testantur. Attamen quum Evangelistae, quod jam vidimus, resuscitationis Domini ab Angelis mentionem factam esse tradiderint, eorum vero scripta, postquam late jam Evangelium pluribus hominum millibus annunciatum erat, in lucem edita sint, longe antea dolo fraudeque omnia ab Apostolis JESUQUE asseclis excogitata esse monuerunt nonnulli, qui JESUM in vitam rediisse, opinionibus mente anteceptis impediti, negarent. Alii ob eandem causam, haec non ita de industria excogitasse, at sensim et sine doli



studio finxisse Apostolos statuerunt. Utrum cum illis, an vero cum his facias, eodem res redit. Antiqua enim Ecclesia, si JESUS in sepulcro mortuus manserit, nullo jure Ejus in vitam reditum celebravit; quod cum fecerit, vel vere in vitam rediit JESUS, vel dolose egit Ecclesia. Sed non tantum ab aliis hoc auditur; ipsi redivivum oculis usurparunt multi, quoties amicis discipulisque conspiciendum se praebuit, quo fit, ut unanimis Apostolorum doctrina de JESU in vitam reditu, rebus in facto positae confirmetur et stabiliatur.

Qui igitur totam de JESU in vitam reditu historiam fraudi tribuunt, quique negant, corpore indutum humano vere Eum hominibus deinceps apparuisse, postquam e mortuis surrexerit, errant profecto. Sententiam enim nostram allatis argumentis vindicaturi, *negamus* fraudem in auxilium vocasse JESU discipulos, utque de rei nostrae veritate constet, *provocamus* ad ipsas JESU apparitiones. Ita pro re nostra pugnantes duplici argumentorum genere utimur; *negando* alterum, *ponendo* alterum procedet.

## SECTIO PRIOR.

FRAUDIS SUSPICIO REMOVETUR.

*Argumentum q. d. negativum.*

Ad rei summam attendens, equidem non video, quo nomine ab iis, qui Mythorum numero JESU in vitam reditum annumerent, illi differant, qui fraudi Aposto-

lorum omnem tribuendam esse rem censeant. Nam, etiamsi *fraudis* vocabulo illi non utantur, fraudulentorum tamen instar hominum Apostolos narrasse statuunt tum de JESU in vitam reditu, tum de Ejus apparitionibus; cum contra eâdem, qua mortales omnes, sorte usus, mortis imperio subjectus, mortuus fuerit, atque, licet ejus diu meminerint amici, numquam tamen vivus, corpore indutus, iis apparuerit. Quo fit, ut, sive fraudi tribuas, sive fabulam, quae sensim sensimque extiterit, dicas JESU in vitam reditum, continuo tibi obsint cum Apostolorum indoles cogitandique ratio, fraudem non admittens, tum difficultates, quae, ex ipsa fraudis natura petitae, sententiam illam ab omni parte premunt. Quod si spectes Apostolos, *a priori*, ut dicunt, minime probabile videtur, fraudulentorum eos partes egisse, cum diserte: »At simplici sumus animo, »verique amantes” objicere tibi eos audias, vel etiam: »Quo modo nos, qui tristes mortuum Dominum lugebamus, neque Ejus in vitam reditum expectabamus, »ejusmodi quid excogitaverimus?” Ad difficultates porro, ex ipsa fraudis natura petitas, si attendas, quo tandem modo praedicare potuissent Apostoli, in vitam rediisse Eum, qui non resurrexerit, adstante Judaeorum Senatu, praesentibus custodiae militibus, contrarium fortasse testante defuncti sepulcro? At vero Judaeorum Senatûs agendi ratio, ipsa militum custodia, ipsum adeo sepulcrum vacuum, magna voce, rem *a posteriori* q; d. spectantes, vetant fraudis accusare Apostolos. Agedum, haec jam accuratius exponamus.

§ 1.

*Apostolorum indoles cogitandique ratio.*

Apostolorum ratione habita, de fraude cogitare, rerumque commenta admittere, nos vetat

I. *Animus eorum simplex verique amans.* Inculctiores homines, inde ab initio vitae JESU publicae, illi Eum secuti sunt, et cum Eo deinceps versati, semperque loquentes et agentes describuntur ea ratione, quae cum eorum conditione prorsus conveniat. Non eo praecipue consilio, ut lucri quid inde caperent, divitias bonaque terrestria sibi acquirerent, aut expectationibus faverent nullo fundamento nitentibus, JESUM secuti sunt, verum quia in deliciis habuerunt, cum simplici, honesto, sancto illo versari, quem Messiam expectabat gens Israëlitica, quemque τὸν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος (Matth. XVI: 16.) cum PETRO lubentes agnoverunt. — Nonnumquam tamen vituperandi erant, ubi aut fide defecerant, aut non eo, quo decuit, amore Eum prosecuti erant, quod non tantum non negarunt, verum etiam palam professi sunt. Tradunt nobis Evangelistae, verba Domini eos subinde non intellexisse, neque tamen de his Eum interrogare ausos esse (Luc. IX: 45.); fide eos caruisse (Matth. XVII: 19 sq.); in periculo versantem omnes Eum deseruisse (Marc. XIV: 50.); unum e discipulorum numero Dominum prodidisse (Joh. XVIII: 5, coll. XIII: 21 sqq.); ne de PETRI improba agendi ratione dicamus, quam dein multis lacrimis luxit, quamque ipse MARCUS nobis tradit (XIV: 66 sqq.). Quibus alia addi possint, ut pateat, eos etiam

narrasse, quorum jure eos puduerit, quaeque minime in discipulorum honorem converti possint. Quod si jam tales homines expectassent post mortem in vitam JESUM esse rediturum, tamen, cum spem fefellit eventus, ut statuunt adversarii, nunquam ejusmodi quid effinxissent, quo mendaces jure habendi fuissent. Contra, si revera JESUM in vitam esse rediturum crediderint, ipse autem Dominus e mortuis non resurrexit, equidem non video, qui fieri potuerit, ut figmentum audaces praedicaverint, neque potius illum deseruerint, qui eorum expectationes tam misere deceperit. Prouti constat, ipsos JESU discipulos, non secus ac gentem Judaeam, terrenum Messiae expectasse imperium, ita quoque sensim sensimque alias eos fovisse opiniones, JESU doctrina institutos, novimus; missas fecerunt expectationes, ad quas minime JESUS se accommodavit, uti patet ex iis, quae S. Scriptores memoriae tradiderunt. Quum igitur non dissimulant, in his se errasse, quidni et in caeteris, praesertim de JESU in vitam reditu opinionibus, idem professi fuissent? Quamnam ob causam, id, quod expectassent, decepti effinxissent? Sed quid amplius moramur? Longe aliud quid expectarunt, quam e sepulcro *redivivum* aliquando proditurum esse JESUM: quod luculenter docent

II. *Apostolorum animi tristitia eorumque expectationes, mortuo JESU.* Ut e mortuis JESUM resurrexisse fingerent, de Ejus in vitam reditu cogitarint necesse est. Contrarium autem, ut vidimus, expectarunt. Mulieres sepulcrum adierunt corpus JESU unguendi causa; quod si Ejus in vitam reditum expectassent, minime

hoc Eum honore affecissent. **MARIA Magd.** corpus defuncti frustra quaeri opinata »*ἦραν τὸν Κύριον*» inquit, »*ἐκ τοῦ μνημείου*». Ipsi discipuli, nuntio de JESU in vitam reditu audito, »*ἠπίστησαν*; quid? quod lugentes lacrimas fudisse (Marc. XVI: 10, 11.) mulierumque verba »*ὡσεὶ λῆρος* habuisse (Luc. XXIV: 11) dicuntur. **Θαυμάζων τὸ γεγονός** ad urbem rediit **PETRUS** (Luc. XXIV: 12); cum socio **CLEOPAS** Emmauntis vicum adiit, »*συνθροπὸς* (ib. s. 17). Ipse adeo **THOMAS**, cui caeteri discipuli, se Dominum in vitam reversum vidisse, annuntiaverant, de rei veritate nequaquam sibi persuadere potuit, nisi Ipsum oculis manibusque prehenderit. »*Als*  
 »*der Herr den Tod erduldet, ging auch in ihnen*  
 »*der schwache Keim des Glaubens unter, denn hatten*  
 »*sie auch das verheissende Wort des Herrn, dass*  
 »*er auferstehen werde, so waren sie doch noch nicht*  
 »*aus dem Geiste wiedergeboren. — Mit dem Tode*  
 »*des Herrn, mit seiner Bestattung ging jede Hoff-*  
 »*nung der Erlösung unter,*» ut recte **KRABBIUS** <sup>(1)</sup>. Quod concedere **STRAUSSIUS** <sup>(2)</sup> mihi videtur; quae tamen addit: »*Wie sich nun, nachdem der erste Schrec-*  
 »*ken vorüber war, der frühere Eindruck* (sc. JESUM  
 »*revera fuisse Messiam) wieder zu regen begann: ent-*  
 »*stand in ihnen von selbst das psychologische Be-*  
 »*dürfniss, den Widerspruch der letzten Schicksale*

(1) O. KRABBE, *Die Lehre von der Sünde und vom Tode, in ihrer Beziehung zu einander und zu der Auferstehung Christi*, 1836, s. 282 sq.

(2) L. I. II, 690.

» Jesu mit ihrer früheren Ansicht von ihm aufzulösen, in ihrem Begriff vom Messias das Merkmal des Leidens und Todes mitaufzunehmen,“ haec psychologica ratione probare non conatus est, quia probatu difficile hoc ei fuisset.

Cujus enim spem et expectationem ita eventus fefellit, is neque in se solatium quaerit, nec invenit. Messiae summa quaeque tribuerant discipuli, at fata JESU extrema, perpassiones Ejus et mors, omnis spei fundamentum ita deleverant, ut nullo modo, nisi extrinsecus accessisset, consolationis causam invenissent. Quae cum ita sint, non intelligo, qui STRAUSSIUS statuere potuerit: JESU discipulos, postquam e V. T. locis Jes. LIII, Ps. XXII, pios doloribus affici didicissent, hoc quoque in Messiam transulisse, quo ejus mors ipsos non offenderet. Deinde, ut STRAUSSIO visum est, JESUM morte sua potuisse εἰσελθεῖν εἰς τὴν δόξαν αὐτοῦ (Luc. XXIV: 26), putarunt discipuli, ita ut, licet Dominum non viderint, Eum ipsis adfuturum esse πάσας τὰς ἡμέρας, ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος (Matth. XXVIII: 20), crediderint. Ita S. Scripturam rite intelligentes τὴν καρδίαν senserunt καιομένην (Luc. XXIV: 32), quam a CHRISTO glorificato, αὐτῶν τὸν νοῦν διανοιγόντι (s. 45), illustrari putarint. Inde subjectivae q. d. visiones mulierum, objectiva quaedam apparitio, quae caeteris contigerit, explicandae esse STRAUSSIO videntur <sup>(1)</sup>. — At vero hoc omnino tenendum est: minime sua sponte, verum, ipsos admonente JESU, in V.

---

(1) L. I. II, 691 sq.

T. effata oculos converterunt, nec, mortuo Sospitatore, talis Messias, qualem STRAUSSIVS effinxit, discipulorum tristi animo satisfacisset. Testatur historia, eorum fidem prorsus defecisse; οὐδέπω γὰρ ἤδεισαν τὴν γραφήν, ὅτι δεῖ αὐτὸν ἐκ νεκρῶν ἀναστῆναι (Joh. XX: 9). Quid? quod mortuo magistro ipsi plane mortui, sepulto Domino, eorum quoque expectationes in sepulcro sepultae vanaeque videbantur. »*Selbst waren sie mit CHRISTO gestorben und begraben gewesen;*” uti pulcre HERDERUS <sup>(1)</sup>, »*mit ihm wurden sie wiedergeboren zu einer neuen lebendigen Hoffnung.*” Quod si igitur extrinsecus nihil accessisset, quod Apostolorum fidem excitaret vel confirmaret, numquam ex Ps. XVI: 10, ὅτι οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχὴν μου εἰς ἄδην, οὐδὲ δώσεις τὸν ὅσιον σου ἰδεῖν διαφθοράν, hanc sibi fidem obtrudere potuissent, neque ex Jes. LIII: 10; ὄψεται σπέρμα μακρόβιον κτλ. longam vitam tribuissent ei, qui mortuus et sepultus erat atque in sepulcro manserat. Judaeorum quidem opinio erat, ὅτι ὁ Χριστὸς μένει εἰς τὸν αἰῶνα (Joh. XII: 34); at contrarium ejus mors probaverat, adeo ut, si millies dixissent Apostoli, ὅτι ἠγέρθη ὁ Κύριος ὄντως, neque Judaeis neque sibi ipsi de JESU in vitam reditu persuasissent. Cum autem revera eos credidisse videamus, quod minime expectabant, e mortuis in vitam rediisse JESUM, statuamus necesse est, fuisse Sospitatorem e mortuis resuscitatum, eumque effecisse, ut V. T. effatis Illum innu-

---

(1) *Von der Auferstehung, als Glauben, Geschichte und Lehre*, IV, § 17.

suspicati sint (Act. II: 27). » Quomodo igitur suspecta  
» erit nobis eorum fides, qui fabulam esse putarunt, quod  
» audierant ex mulieribus, donec in rem praesentem sunt  
» adducti? ” ut recte CALVINUS.

Eligat unusquisque, a pseudo-philosophis mente ante-  
ceptis opinionibus liber, e STRAUSSII rem exponentis  
ratione, et simplici, at psychologiae legibus satis-  
faciente Evangelistarum historia. Qui illi assentit, quo-  
cumque se vertat, et fraudem inveniet, et conjecturas  
nondum probatas. At fraudem quis admittat, qui dif-  
ficultates, quae eam premunt, cognitae habet, et ad dis-  
putata attendit, quae statuere nos vetant, Apostolos *de*  
*industria*, aut sensim sensimque, at *sine doli studio*,  
*fixisse*, in vitam rediisse JESUM. Historia nobis testis  
sit, JESU discipulos de crimine facile absolutura.

## § 2.

### *Fraudis adhibendae difficultates.*

Quominus facile rem excogitatum aliis obtruserint, si  
vel concesserimus, fraudatione egisse Apostolos, prohi-  
buisset Senatus Judaeorum, difficile reddidisset militum  
custodia, fraudisque eos accusasset ipsum sepulcrum,  
corpore vacuum. Triplici igitur ratione fraudis suspicio  
removetur; nam Senatûs Judaeorum agendi ratio, sepul-  
crum custodientes milites, imo sepulcrum ipsum vacuum  
Apostolis ab omni parte favent.

I. *Senatus Judaeorum*, communi fere suffragio et ap-  
plaudente magna hominum turba, capite damnavit illum,



quem improbum hominem infestumque habuit populus Judaëus. Mortuo illo, ipsius asseclae facile dispergi et deleri potuissent; contra vero, si in vitam rediret ille, quem ἐκείνον τὸν πλάνον dixerant Judaeorum proceres, omnium spem animumque ne erigeret, valde metuendum erat. Quocirca quid mirum, quum JESU discipuli, in vitam Eum rediisse, annunciarent, Judaeorum Senatum continuo totam rem negare, et captivos mendaces istos abducere! Necessitas, ut ita dicam, moralis hoc facere eos cogebat. Nec quidquam facilius erat; nam mortuum in vitam rediisse, neque homines facile credunt, et difficile est probatu; at facile negari potest; subinde quoque, quod negatur, comprobari (1). Objiciat quis: qui hanc propagabant fabulam, viri erant auctoritate et potestate pollentes, quos aggredi Judaeorum Senatus non ausus est, quos facile secutus est populus, quos honorarunt Judaei; tales enim, ut monuit A. COLLINSIUS (2), saepius stultissima quaeque

---

(1) Conferri hic merentur, quae ad librum H. DITTONIS Angli, *de Christ. Gods. betoogd* etc. annotavit interpres Franco-Gallus, quaeque in versione Belgica cum praefatione P. NIEUWLANDI leguntur pag. 344 sq.: »Zeker man, genaamd EEMS, een slag van een' medicijnmeester, » was gestorven. Die gewaande Profeten" (Franco-Galli quidam Londini versantes) » beloofden dat zij hem zouden *doen wederopstaan* » *van den dooden*. En zij stelden den dag vast op den 26 Mey 1708. » Geheel *Londen* kwam toelopen naar het kerkhof van *Burchinfields*, » alwaar die man begraven was. Maar *hij stond niet op*. Zij *moesten* » *hem er dood laten leggen, en met groote schande wechdruipen.*"

(2) *Examen du Système literal de la Prophetie*, etc. liber laudatus a DITTONIS interprete Franco-Gallo, ed. Belg. p. 358.

credulae plebi obruserunt, fidemque apud populum in-  
venerunt: tales, ex ejus sententia, fuerunt Apostoli, qui-  
bus, JESU in vitam reditûs fabulam fingentibus, populus  
Judacus fidem facile habuit. Monere sane piget, simpli-  
ces homines, veri amantes, talia minime venatos esse.  
Sed, quod majorem etiam vim habet, Senatus Judaeorum  
de fraude sibi non persuasit. Aegre quidem sacerdotes et  
Sadducaei PETRUM et JOHANNEM audierunt praedicantes, e  
mortuis resuscitatum esse JESUM, *διαπονοίμενοι διὰ τὸ  
διδάσκειν αὐτοὺς τὸν λαόν* (Act. IV: 2 sq.), ita ut in  
carcerem eos abducerent; postridie vero, cum summus  
sacerdos et qui cum eo erant, JESU discipulos interroga-  
rent, quam vi et cujusnam nomine aegrotum sanave-  
rint, aperte respondit PETRUS, *ἐν τῷ ὀνόματι* se id fecisse  
Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὃν ὑμεῖς ἐσταυρώσατε, ὃν ὁ Θεὸς ἤγει-  
ρεν ἐκ νεκρῶν (s. 10). Quid Judaeorum proceribus  
facilius fuisset, quam palam profiteri, mortuum in sepul-  
cro adesse JESUM, vel si discipuli corpus subduxissent, justa  
illos poena afficere fraudisque convincere? Quo magis  
enim palam res accidit, eo facilius in ejus veritatem in-  
quiri potest (cf. Luc. XXIV: 18). At nihil ejusmodi.  
*Θεωροῦντες δὲ τὴν τοῦ Πέτρου παρρησίαν καὶ Ἰωάννου  
κτλ., οὐδὲν εἶχον ἀντιπεῖν* (Act. IV: 13, 14), atque  
ita superbi isti magnates et imperiosi doctores nihil,  
quod in medium proferrent, habuerunt. Dimittentes  
captivos, in posterum eos *ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ Ἰησοῦ*  
praedicare aut docere vetant (s. 18). Num etiam GAMA-  
LIEL, pius ac doctus ille Pharisaeus, *τίμιος παντὶ τῷ  
λαῷ*, si apud eum de fraude Apostolorum, JESU in

vitam reditum praedicantium, constitisset, num GAMALIEL de fraudulentis ac improbis hominibus talem tulisset sententiam, qualem tulit in Judaeorum Senatu, »καὶ τὰ νῦν »λέγω ὑμῖν, ἀπόστητε ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων τούτων. — »εἰ δὲ ἐκ Θεοῦ ἐστὶν (τὸ ἔργον τοῦτο), οὐ δύνασθε κατα- »λύσαι αὐτὸ» (Act. V, 38 sq.). Ne quis vero putet, Senatum Judaeorum in rei veritatem non inquisivisse! Eam investigarunt sine dubio, nam eorum auctoritatem pessumdedit redivivi doctrinae annunciatio, quum ipse JESU in vitam reditus palam doceret, JEHOVAM fuisse cum eo, quem isti crucis supplicio tradiderant. *Πο*c ipsum dixit tum coram populo PETRUS: ὑμεῖς δε — τὸν ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς ἀπεκτείνετε, ὃν ὁ Θεὸς ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν (Act. III: 15), tum coram Senatu de JESU loquens: »οὗτός ἐστιν ὁ λίθος ὁ ἐξουθενηθεὶς ὑφ' ὑμῶν τῶν οἰκοδομούντων, ὁ γενόμενος εἰς κεφαλὴν γωνίας (IV: 11).

Quae cum ita sint, concludimus, Judaeorum Senatum facile fraudis convincere potuisse, et procul dubio convicturum fuisse Apostolos, si accusandi fuissent. Nihil vero hujusmodi accidit, cum tacite iis assenserint, docetque tota Senatûs agendi ratio, licet, ut sibi parcerent, furti rumore divulgaverint, eum certe JESU in vitam reditum suspicatum esse. *Η*oc ne infitias eat, cui de Evangelistarum narrationum fide historica persuasum est, et qui rite perpendit, egregie Judaeorum Senatum certiore fieri potuisse eorum, quae prope sepulcrum acciderint. Custodia militum de fraude discipulorum sponte sua non locuta est, imo illam prohibuisset; ad milites igitur nos provocare, ut criminatione Apostolos absolvant, quis miretur? Scilicet

II. *Milites sepulcrum custodientes*, cum Angelus de coelo descenderet saxumque devolveret, ὡσεὶ νεκροὶ Hierosolyma adierant, et cum sacerdotibus ἅπαντα τὰ γενόμενα communicaverant (Matth. XXVIII: 11). Hanc Sacerdotes nonnulli a PILATO custodiam petierant, μήποτε ἐλθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ (JESU) νυκτὸς, κλέψωσιν αὐτόν, καὶ εἶπωσι τῷ λαῷ ἠγέρθη ἀπὸ τῶν νεκρῶν (XXVII: 62—64); quam nacti, πορευθέντες ἠσφαλίσαντο τὸν τάφον, σφραγίσαντες τὸν λίθον, μετὰ τῆς κουστωδίας (s. 66). Ita factum est, ut nulla corpus clam abducendi occasio discipulis praeberetur, nec fraudis suspicioni locus relinqueretur; contra ipsi Sacerdotes hoc militibus inculcarunt, dicentes: »εἶπατε, ὅτι οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ νυκτὸς ἐλθόντες ἔκλεψαν αὐτόν, ἡμῶν κοιμωμένων» (XXVIII: 13), magnam insuper pecuniae copiam, seque apud PILATUM pro iis intercessuros esse promittentes; quae cum facta sint, διεφημίσθη ὁ λόγος οὗτος (de cadavere a discipulis sublato) παρὰ Ἰουδαίοις μέχρι τῆς σήμερον, ut addit MATTHAEUS, XXVIII: 15.

Quam discipulis nobisque favet hoc MATTHAEI testimonium! Quot adversarios nactum est, ad recentissima usque tempora! »*Es ist keine einzige Seite, kein einziger noch so versteckter Winkel, dem er seine Sturmleitern nicht angeworfen.*» Hoc, quod de Anonymo LESSINGIUS (1), nos, quod ad hanc quaestionem, de STRAUSSIO dicimus. »*Freilich hat er diese Sturmleitern nicht alle mit eigener Hand neu ge-*

(1) Duplik, initio.

»schnitzt; die meisten davon sind schon bey mehrern  
»Sturmen gewesen; einige derselben sind sogar ein  
»wenig sehr schadhaft.“ —

Totam enim hanc pericopen seriore manu interpolatam esse statuit STROTH; ab interprete Graeco textui Hebraeo insertam eam dixit KERN; seriori traditioni tribuit STRAUSIUS <sup>(1)</sup>, aliorum vestigia premens, in primis scriptoris *Fragmentorum Guelpherb.*, et cl. PAULI, quorum ille <sup>(2)</sup>, ex Apostolorum silentio de militum custodia, ex eo, quod numquam coram iudicibus ad eam provocarint, concludendum esse censet, et milites sepulcrum non custodisse, et discipulos facile corpus JESU subducere potuisse; ne vero hoc suspicarentur Judaei, famam Apostolos de militum custodia, sepulcro apposita, pervulgasse. Deinde hanc narrationem res sibi contrarias tradere contendit, quum neque Judaeorum Senatores JESU vaticinationum de suo in vitam reditu certiores facti fuerint, nec Senatus, magna pompa procedens, PILATUM adierit, ut militum custodiam ab eo impetraret. Porro negat, Senatores una cum militibus, sepulcrum visitasse, aut facile Romanorum usos fuisse militibus, cum ipse JOSEPHUS *Arimath.* Senator militibus Judaeis sepulcrum custodiendum tradere potuisset. His monitis, nobis objicit, totum Judaeorum Senatum, una cum JOSEPHO et NICODEMO pessimae corruptelae accusandum esse, et men-

---

(1) L. I. II, p. 612 sqq. Varios, qui de hac quaestione egerunt, scriptores laudavit HASE, *Leb. Jesu*, ed. 3, § 122 (f).

(2) *Fragment über die Auferstehungsgeschichte* inde ab initio.

dacem habendum, quod crimen summo Judaeorum collegio non facile quis obtrudet. Tandem improbabile ei videtur, mulieres sepulcrum a militibus custodiri nescivisse, cum Senatorum militumque cohortem sepulcrum adeuntem viderint omnes Hierosolymitani. Denique Evangelistas inter se dissentire statuit, cum, ex MATTHAEI narratione, Angelum descendentem viderint milites et mulieres; contra, saxum devolutum Angelumque sedentem invenerint mulieres, secundum caeteros Evangelistas.

Hisce alia minoris momenti addidit dubia PAULUS (1). At qualem posuit thesin, in dijudicanda hac quaestione! Est, inquit, »*dies als historisches Kriterium klar: Wenn »eine angebliche Handlung den Individualitäten und »Umständen der Handelnden zuwider ist und eine andere Entstehung dieser Abweichungen nicht aus »den Umständen erhellt, so kann die Handlung nicht »für eine wirkliche, nicht einmal für eine fein gedichtete gelten*» (2). Sic fere judicavit quoque LESSINGII *Anonymus*, quonam autem jure id statuerit, non videmus. Quodammodo hanc regulam valere concedimus in dijudicanda narratione, quae ob *externa* argumenta commentitiam se prodit; sed *internis* unice argumentis nitentem dubitationem ne fulciat! Ita quidem magnam antiquae et recentioris historiae partem omni fundamento carere historico, statuamus necesse est.

(1) *Ereg. Handb.* III, 337 sqq.

(2) *L. l.* III, p. 840; cff. quae de hisce monet in *Leben Jesu*, 1823, I, 2, p. 260—266.

Sed MATTHAEI de militibus narratio non ita improbabilis habeatur, modo ne infringatur, aut additamenta ei adjiciantur, quae cum ipsa nequaquam congruant. Nihil e. g. de Judaeorum Senatu legimus, magna pompa P<sup>IL</sup>ATUM adeunte, sepulcrum dein cum militibus visitante; nihil de concione Senatûs solenni, qua auro milites corrupti sint, quum potius Pharisei et Presbyteri nonnulli, JESU infestissimi, Procuratorem Romanum adorti esse videantur, deinde autem clam cum militibus convenisse; quod cum iis, quae MATTHAEUS tradidit, egregie congruit. Etenim Matth. XXVII: 62 aequè minus atque s. 41 (quo loco ἐμπαίζοντες Sospitatorem informantur), aliisque locis, totius Judaeorum Senatûs mentionem facit Evangelista. Porro verosimile omnino est, clam eos haec omnia fecisse, quo melius discipulos prehenderent; quod si concedimus, unde factum sit, intelligitur, quod nesciverint mulieres, sepulcro appositam fuisse militum custodiam <sup>(1)</sup>, prouti ex tota earum discipulorumque agendi ratione hoc patet. Caeteroquin enim de saxo devolvendo non anxie quaesivissent: τίς ἀποκλύσει ἡμῶν τὸν λίθον; κτλ., quod licet STRAUSSIO *improbabile* videatur, ideo tamen non minore fide dignum censendum est.

---

(1) Acerbe sane hic J. C. DOEDERLEINIUS, *Fragmente und Antifragmente*, 1788, I, 237: »Zum Beweis,» inquit, »dass sie keine europäischen Damen waren, die auf alle Stadtneuigkeiten lauerten, »dass sie den Sabbath über stille gewesen, dass diese Sache kein »grosses Aufsehen gemacht,» u. s. v.

Objiciunt, ad hos milites numquam provocasse Apostolos. Animadvertendum est, nullum eos inde fructum capturos fuisse coram Senatu, quippe qui ad fraudulentorum, auro corruptorum, hominum provocasset testimonium, et verosimile omnino nobis videtur, primis eos temporibus hanc rem plane ignorasse, neque milites vidisse. Quì igitur, quod nesciverunt, in auxilium vocare potuerunt? Quod ita Apostolis crimini dare ausus est scriptor *Fragmentorum Guelpherb*: »*Es ist ein offenbarer Widerspruch: nur einen festen Beweisgrund haben, der sich von selbst anbietet, denselben wissen, und so oft zu brauchen genöthiget seyn, und dennoch nimmer gebrauchen, sondern sich mit nichtigen behelfen*» (1), hoc in ipsius Judaeorum Senatùs noxam convertimus, quippe qui numquam objecerit discipulis: »*Quid JESUM in vitam rediisse jactatis; ipsi cadaver subduxistis, furesque estis habendi!*» At tota ejus agendi ratio, ut supra vidimus, diserte contrarium comprobatur.

Male STRAUSSIUS, assentientibus HASIO (2) et WEISSIO (3), statuit, famam prius inter Judaeos pervulgatam esse, JESU *discipulos defuncti cadaver subduxisse*; quam ut refutarent, Christianos objecisse Judaeis: »*Quomodo cadaver subduci potuisset, quum vossepulcrum, a militibus custoditum, obsignaveritis?*» Scilicet conjecturâ nititur

---

(1) DOEDERLEINII *Fragm. u. Antifr.* I, 136.

(2) *Leb. Jesu*, ed. 3, § 122.

(3) *Evangelische Geschichte*, II, 343.



haec ratiocinatio prorsus improbabili, et numquam certe hoc, quod de militum custodia responsum dederint Christiani, ita apud ullum hominem valuisset, ut jam revera de sepulero, a militibus custodito, quis sibi persuasisset. »*Welche rohe Entwürdigung des Urchristenthums und seiner Urkunden, eine solche Bekämpfung der Lüge mit Lügen gerade in einem Punkt, der die heiligste Grundlage der Wahrheit bildet, — der Auferstehung, ihm aufbürden!*” (1) PAULI vero sententiam, totam narrationem a Judaeis excogitatam dicentis, et HASII, JESU amicis illam tribuentis, deinceps autem a Judaeis eam immutatam esse statuentis (2) (quam sententiam missam fecit V. Cl.), recte refutat STRAUSSIIUS (3).

At causa facile dari potest, qua factum est, ut caeteri Evangelistae hanc militum custodiam minime commemoraverint, quippe qui famam inter Judaeos notam, quae illorum praecipue interfuit, certe exteris, si vel scivissent, non tradiderint; quomodo vero MATTHAEUS cognitam eam habere potuerit, supra monuimus, quaeque ita a nonnullis pugnae species inter singulos Evangelistas animadvertitur, nullam esse ex hisce patet, prouti quoque antea in concordiam eos redegitur.

Omnia denique egregie conveniunt cum Judaeorum Senatûs indole agendique ratione; qui enim auro milites

---

(1) OSIANDER, *Apologie des L. J.*, p. 332.

(2) *Leb. Jesu*, ed. 2, p. 263, ubi fieri potuisse concedit, militum custodiam sepulcro fuisse appositam.

(3) L. I. II, p. 618.

corrumpunt, iidem sunt, qui ἐζητούν ψευδομαρτυρίαν κατὰ τοῦ Ἰησοῦ, ὅπως αὐτὸν θανατώσωσι (Matth. XXVI: 59). Duos hi quaesiverunt ψευδομαρτυρίας, horumque testimonio usi sunt (s. 60 sqq.), et, cum procul dubio antea dicentem audiverint Sospitatorem: λίσσατε τὸν νόον τοῦτον, κτλ. (Joh. II: 19), probe sciverunt, quid de horum testium (Matth. XXVI: 61. Marc. XIV: 57, 58.) ἀξιοπιστία fuerit sentiendum, prouti ipsorum testantur verba Matth. XXVII: 63. Quis igitur, Judaeorum proceres sibi non constitisse, dicat, eosque MATTHAEUM ita agentes informasse, quales certe non egissent, vel sensissent probi isti Senatores?

Dixerat iis PILATUS (Matth. XXVII: 65): ἔχετε κουστωδίαν· ὑπάγετε, κτλ., illam innuens custodiam, quae prope crucem antea steterat, quaque ad idem consilium exsequendum egregie uti potuerunt Senatores. Morientem hi milites viderant, audiverantque τὸν ἐκατόνταρχον καὶ τοὺς μετ' αὐτοῦ τηροῦντας τὸν Ἰησοῦν dicentes: ἀληθῶς Θεοῦ υἱὸς ἦν οὗτος (Matth. XXVII: 54). Quid mirum, descendente de coelo Angelo, plane eos obstupuisse, hostesque adiisse defuncti, cujus fata extrema adeo extraordinaria fuerant; quid mirum eos postea, omnia secum reputantes, Christianam amplexos esse religionem <sup>(1)</sup>?

(1) Digna, quae hic commemorentur, FLESSINGII verba mihi videntur, l. I. I, 79. Postquam milites, qui sepulcrum custodierant, Caesaracum reversos esse monuit, ibique cum commilitonibus audita, visa et peracta communicasse, recte ad CORNELII historiam provocat,

Fraudem sane stultissimam commiserunt Senatores Judaei; at dubitari omnino potest, an recte statuerit Fragmentista *Guelpherb.*: »*Der ganze hohe Rath, ein Collegium von Siebenzig obrigkeitlichen Männern wird in dieser Geschichte zu lauter Schelmen gemacht, welche mit Ueberlegung einmüthig willigen, ein Falsum zu begehen, und zu solchem Falso auch die Römische Wache zu bereden. Das ist an sich eine unmögliche Sache* (1);“ quibus adeo historiam detorsit et infregit. Quot Romanorum nobilissimos Senatores auro corruptit JUGURTHA, ut sibi faventes eos haberet (2), nec minoris sceleris isti accusandi sunt. HERODEM Bethlehemiticos necari jussisse infantes, sanctissimum hominem a JUDA *Iscariote* proditum esse tradit historia. Num ideo historia haec mentita est?

Quis igitur est, quin dubia, contra hanc narrationem

---

ut MATTHAEI narrationis fidem historicam confirmet. »*Würde wohl der Römische Hauptmann daselbst, Cornelius, mit seinen Angehörigen und einigen Kriegsknechten, sich zum Christenthum bekehret, einem Betrüger, den Petrus gehöret, und als einen göttlichen Gesandten aufgenommen haben? Die Bekehrung des Cornelius ist uns also Bürge, dass die Kriegsknechte zu Caesarea die Geschichte des Grabes Jesu nach der Wahrheit erzählt haben.*“ Monet enim, Romanorum milites, qui Hierosolymis et Caesaracae merebant, eidem subfuisse duci. Cff. Act. Ap. XXIII: 23—32, ERNESTI, *Inst. Int.*, P. III, C. X, § 98, et facile inter se commercium eos habere potuisse. Cf. quoque Act. Ap. XXVI: 26.

(1) *Fragm. u. Antifr.* I. I., 140.

(2) Cf. SALLUSTIUS, *Bellum Jugurthinum*, cap. XIII, XV, XVI.

ab adversariis mota, nullo niti fundamento, nullis fulciris argumentis *externis*, videat, atque *subjectivi* iudicii referre rationem. Quod si igitur sepulcrum custodierunt milites Romani, verbo monere sufficiat, quam difficile et discipulis et JOSEPHO *Arimath.* <sup>(1)</sup>, et aliis <sup>(2)</sup> fuisset, corpus JESU subducere, quod prohibuissent milites, poenaque multassent Judaeorum proceres. »Vere ergo» (ut ait CALVINUS <sup>(3)</sup>) »annulo suo PILATUS CHRISTI resurrectionem obsignavit: et qui appositi fuerunt ad sepulcrum custodes, tacendo vel mentiendo ejusdem resurrectionis praecones facti sunt.» Licet vero Romanorum milites Domini custodierint sepulcrum, licet Procurator Romanus illud obsignaverit, vel sic tamen

III. *Sepulcrum vacuum* invenerunt mulieres, PETRUS et JOHANNES. Quanam, quaeso, sorte usum est defuncti cadaver? Nemo illud vidit, nemo ostendit, neque, ut proferrent, Senatus ab Apostolis petiit. Hanc quaestionem, qui narrationes de JESU in vitam reditu commentitias dicunt, neque solvunt nec dirimere possunt. Verum in primis quaestio de *sepulcro vacuo* <sup>(4)</sup> magni est momenti, tum ad sententiam dijudicandam eorum, qui JESU in vitam reditum, corpore induti, quo mortuus erat,

---

(1) Cf. J. E. C. SCHMIDT, *Bibl. f. Kritik u. Exegese des N. T.* II, 541 sq.

(2) Cf. P. C. LILIENTHAL, *oordeelk. Bijbelv.* XI, p. 4 sq. nota.

(3) *Inst. Rel. Chr.* III, 25, 3.

(4) Cf. J. G. ROSENMÜLLER, *Progr. de sepulcro Christi vacuo*, Erl. 1780.

negant, resurrectionem vero ad animum et spiritum referunt, quam sententiam proposuit WEISSIUS; tum eorum, qui *traditioni* mythisque annumerant JESU e mortuis resuscitationis narrationes, ut STRAUSSIUS.

Quod ad illum attinet, WEISSIUS cum diserte affirmaverit, corpus JESU, in sepulcro depositum, nihil cum ejus resurrectione commune habere <sup>(1)</sup>, atque igitur e *sepulcro minime prodiisse*, tamen negandum esse censet, famam de cadavere, a discipulis clam subducto, rem in facto positam pro fundamento habere, aut inde repetendam esse, quod sepulcrum discipuli invenerint vacuum; contra, rumorem illum primi aevi Christianis ansam dedisse, ut putarent, corpore, quo sepultus erat, indutum, in vitam rediisse JESUM: »*Wie,*» inquit, »*wenn das erwähnte jüdische Gerücht, statt aus dem Verschwinden des Leichnams entstanden zu sein, vielmehr umgekehrt unter den Christen zu der Meinung, dass der Herr, nicht bloss im Geiste, oder im Leibe der Verklärung, sondern in seinem irdischen Leibe auferstanden sei, den ersten Anlass gegeben hätte* <sup>(2)</sup>?» At, illâ assumptâ sententiâ, WEISSIO concedamus necesse est, negasse Judaeos JESU in vitam reditum, cum eum palam profiterentur discipuli, atque

---

(1) *Evang. Gesch.* II, 340: *dass die Auferstehung Jesu überhaupt nur eine dem Gebiete des Geistes- und Seelenlebens, nicht der äussern Körperlichkeit, angehörende Thatsache sey, dass an ihr der irdische, ins Grab gelegte Leib keinen Antheil gehabt habe.*

(2) *L. I. II, 344.*

ita nullo fundamento nitentem exstitisse famam inter Christianos de sepulcro, corpore defuncti vacuo, cui eo lubentius fidem eos habuisse censet WEISSIUS, quo magis adversarii, Judaeos dicit, antea eam probaverint <sup>(1)</sup>. Illud autem negat historia, ut jam vidimus. Etenim Judaei numquam infitiati sunt, e sepulcro redivivum prodiisse JESUM, eodem corpore indutum, quo sepultus erat, quodque antea cruci affixerant. Audiamus enim PETRUM (Act. II: 23, 24, in primis 31.): τοῦτον — ὁ Θεὸς ἀνέστησε, λύσας τὰς ᾠδῖνας τοῦ θανάτου — ὅτι οὐ κατέλειφθη ἡ ψυχὴ αὐτοῦ εἰς ᾠδου, οὐδὲ ἡ σὰρξ αὐτοῦ εἶδε διαφθοράν. Talia palam professus est quinquaginta diebus post JESU in vitam reditum, nemine negante aut obloquente. Quod si verum est, cum WEISSIO statuere non possumus, in suos usus convertisse Christianos sparsum a Judaeis rumorem, quia opportunitas, qua ex WEISSII sententia rumor ille exstitit, minime adfuit.

Aliud etiam est, quod ei obstat. Quod si discipulis objecissent Judaei: »Vos cadaver subduxistis;” continuo

---

(1) Ibid. Die Entstehung des Gerüchtes selbst im Laufe der Zeit kann, wenn einmal der Glaube an die Auferstehung Christi von den Christen factisch ausgesprochen war, und von den Juden bekämpft ward, auch ohne alle thatsächliche Grundlage nicht im mindesten befremden. Noch weniger aber kan befremden, wenn die Christen einer Thatsache Glauben schenkten, die solchergestalt durch das eigene, freiwillige Zeugniß ihrer Gegner über allen Zweifel erhoben schien, und wenn sich auf dieser Grundlage jene Sagen bildeten, welche das Factum der Entleerung des Grabes allerdings voraussetzen scheinen.

ad cadaver illi provocassent, quod odoramentis et unguentis tinctum, et sepulcro inclusum, post octo hebdomadam spatium optime agnosci potuisset, atque ita falsam illam criminationem facile a se depulissent JESU discipuli. Sin hi dixissent: »Mortuus JESUS in vitam »rediit, corpore indutus humano eodem, quo antea usus »est!» continuo Judaei, si revera cadaver inclusum tenuisset sepulcrum, dixissent: »Mendaces vos esse docet »ipsum cadaver, in sepulcro reconditum;» atque ita discipulos fraudis convicissent Judaei. Ab utraque igitur parte rem si spectes, semper patet, neque e re Christianorum, neque Judaeorum fuisse, vel talem de sepulcro vacuo famam excogitare, vel excogitatam non refutare, totamque WEISSII ratiocinationem circuli formam referre.

Praeterea hoc addendum est. Mulieres cadaver non invenerunt in sepulcro depositum, at quum ibi deponeretur die Veneris, adfuerant illae (Matth. XXVII: 60, 61. Marc. XV: 47), et quominus subduceretur, prohibere potuerunt milites. Etsi die Saturni sepulcrum militibus custodiendum traditum est, equis conjecturae faveret, ab amicis interim in alium locum corpus JESU esse repositum? Quasi sepulcrum a corpore vacuum ob-signavissent Judaei, custodiissent milites, neque antea accurate illud inspexissent! Frustra item cadaver quae-siverunt PETRUS et JOHANNES. Tota igitur haec narratio seriori aetati tribuenda est; jam vero non facile quis credet, LUCAM in Evangelio suo scribendo ita mala fide egisse, ut totum *fingeret* sermonem, quem cum JESU conseruerint duo illi discipuli, cujus mentionem facit

XXIV: 13sqq., ut verba iis tribuerit, quibus nequaquam uti potuerint, ipso, quo in vitam JESUS rediit, die, quo vero, ex WEISSII sententia, de vacuo sepulcro nondum cogitaverint. Valet autem hoc de CLEOPAE verbis (ib. s. 23, 24): *καὶ μὴ εὐροῦσαι τὸ σῶμα αὐτοῦ, ἦλθον, κτλ., καὶ ἀπήλθον τινες τῶν σὺν ἡμῖν ἐπὶ τὸ μνημεῖον, καὶ εἶρον οὕτω, καθὼς καὶ αἱ γυναῖκες εἶπον.* Symbolice haec WEISSIUS non interpretatus est, neque ulla dari potest causa, ob quam LUCAS, nisi talia dixisset CLEOPAS, haec addidisset: quod si enim traditioni favere voluerit, stultissime egit, qui JESUM *corpore humano indutum, loquentem* cum illis informat discipulis, eique (s. 39) verba tribuit: *ἴδετε τὰς χεῖράς μου καὶ τοὺς πόδας μου· ὅτι αὐτὸς ἐγώ εἰμι.* Caeterum quomodo has de mulieribus, sepulcrum visitantibus, narrationes explicet WEISSIUS, in omnibus a partium studiis se ipse professus alienum, hujus loci non est indagare, at facile patet, totum, quod acute construxit, aedificium Philosophus Lipsiensis, sponte corruere, si constet, neque JESU corpus clam subductum esse, quod et ipse negat, neque in sepulcro mansisse, docente historia, quam nisi detorqueamus et infringamus, hoc, quod posteriori loco posui, minime infitias ire possumus. Mihi denique visa est WEISSIO haec sententia placere, quam tamen non professus est, *ipsos Judaeos* clam cadaver subduxisse, ut, quominus discipuli id facerent, impedirent; sic revera *ἡ ἐσχάτη πλάνη χεῖρων τῆς πρώτης* facta est! Sed quid vacuum fuisse sepulcrum amplius probare conaremur; in pessima quaeque ruit, qui ab historia



recedens, ejus loco sua philosophemata nobis obtrudere conatur; illum enim τὰ πολλὰ γράμματα εἰς μανίαν περιτρέπει.

Restat, ut de STRAUSSII sententia videamus. »*Wenn doch der Leichnam Jesu,*» ita ille <sup>(1)</sup>, »*an einem bekannten Platze beigesetzt war, und an diesem (sofern wir weder einen Diebstahl, noch eine zufällige Entfernung desselben postuliren mögen) aufgesucht und nachgewiesen werden konnte,*» intelligi vix potest, quī JESU discipuli ita brevi post palam Hierosolymis Ejus in vitam resurrectionem praedicaverint, »*ohne durch den Augenschein am Grabe sich selbst zu widerlegen.*» Quam difficultatem ut e medio tolleret criticus noster, »*wie lange,*» inquit, »*wird es noch anstehen, bis die Art, wie die A. G. den ersten Hervortritt der Jünger Jesu mit Verkündigung der neuen Lehre gerade auf das Fest der Verkündigung des alten Gesetzes verlegt, als eine solche erkannt wird, welche lediglich auf dogmatischen Grunde ruht, mithin historisch werthlos, uns auf keine Weise bindet?*» u. s. w., cui respondendum est, quamdiu LUCAM conscripsisse *Actus Apostolorum*, communis omnium criticorum, qui veri studiosi sunt habendi, sententia est, tamdiu cum STRAUSSIO neminem facturum esse. Fortis sane ille est in quaerenda difficultate, at in dirimenda debilis. Nam posteaquam militum custodiam a sepulcro removit, discipulos aut

---

(1) L. I. II, 692.

sepulcri possessorem cadaver subduxisse negat <sup>(1)</sup>, et de historia, externis et internis argumentis confirmata, fidem detrahit. Quidni potius cum J. C. EDELMANNO <sup>(2)</sup> statuit, terram absorbuisset cadaver, aut alio modo per terrae motum JESU corpus ita disparuisse, ut numquam deinceps inventum sit! Felices, qui tali rara avi non indigeant!

Ex his omnibus luce clarius apparet, nullo modo, nisi revera in vitam redierit JESUS, hujus rei famam existere potuisse, quod prouti hucusque *negando* fere probavimus, ita jam ad argumentum, re in facto posita et sub sensu cadente nitens, provocamus. Ipsis discipulis e mortuis in vitam revocatus Sospitator conspiciendum se praebuit.

## SECTIO POSTERIOR.

### JESU IN VITAM REVOCATI APPARITIONES.

#### *Argumentum q. d. positivum.*

Τούτον τὸν Ἰησοῦν ἀνέστησεν ὁ Θεός, οὗ πάντες ἡμεῖς ἐσμεν μαρτυροί. Hoc summo jure testari potuerunt discipuli, qui mortem JESU lugentes, Ipsum e mortuis resuscitatum *viderant*, manibus *palpaverant*, quem ἐμφανῆ γενέσθαι ἔδωκεν discipulis ipse Deus. Quum maximi faciamus hoc argumentum, ex JESU apparitionibus <sup>(3)</sup>

<sup>(1)</sup> Cf. I. I. H, 687.

<sup>(2)</sup> Cf. F. C. LILIENTHAL, I. I. XI, p. 169. Y. VAN HAMELSVELD, de *Bijbel verd.*, VI, p. 10 sq.

<sup>(3)</sup> Quum mortuum in vitam rediisse Veteribus non notum esset, minime miramur, eos verbo caruisse, quo significarent, e mortuis

petitum, continuo de vario modo videamus, quo Evangelistae earum mentionem faciant eosque narrantes primum audiamus.

Matth. XXVIII: 9, 10. Domum redeuntibus mulieribus JESUS obvius factus est, quas admodum gaudentes jussit, discipulos monere, ut Galilaeam adirent, ubi Ipsum visuri essent.

S. 16 sqq. Undecim discipulis, postquam Galilaeam adierant, in monte JESUS apparuit, dubitantibus nonnullis <sup>(1)</sup>.

Marc. XVI: 9—11 <sup>(2)</sup>. Quo in vitam rediit die,

---

in vitam revocatum aliis se conspiciendum praeuisse. Liceat autem nobis vocibus uti *apparere*, *apparitio*, ut τῷ φανεροῦσθαι, φανερώσας, N. T. Scriptoribus usitatis respondeant.

<sup>(1)</sup> S. 17, οἱ δὲ ἐδίδασκαν. Ad h. l. FRITZSCHIIUS: »Ego semper »ita censui, cogitando hoc membrum praemitti debere: οἱ μὲν οὐκ »ἐδίδασκαν, ut nemo praeter hos undecim discipulos designetur, »ἐδίδασκαν vero vim habeat plusqpf.: *et conspicati Eum in genua »procubere*; (alii non dubitaverant) *nonnulli vero dubitaverant, sed »cuncti, posteaquam in Galilaea praeceptorem suis ipsi oculis usur- »parunt, dubitationes penitus sibi exemerant.*» Num vero recte ille, qui proxime praecedenti aoristo προσεκύνησαν perfecti vim tribuit, idem proxime sequentem aoristum pro plusquampl. habeat, quaerenti non facile affirmando respondere ausim. Alii cum undecim discipulis convenisse D. ἀδελφοὺς, quos Paulus commemorat 1 Cor. XV: 6 statuerunt, laudati a KUINOELIO ad h. l. p. 320 sq. Alii, inter quos ipse KUINOELIUS, cum iis in montem se contulisse autumant LXX discipulos, quocirca οἱ δὲ ἐδίδου. = τινες horum LXX.: certe quo se commendat plus habet prior illa conjectura; nam nullibi peculiaris apparitio LXX discipulis commemoratur.

<sup>(2)</sup> MARCI Evangelii finem authenticum esse, jure statuere mihi

JESUS MARIAE *Magdalenae* conspiciendum se praebuit, cui, laetum nuntium cum discipulis communicanti, fidem hi denegarunt.

videor. Licet enim s. 9—20, in Cod. B, non inveniantur, asteriscis in 137, 133 notentur, in aliis frustra quaeri testentur scholia, a Cod. L alius nostro Evangelio imponatur finis (cf. GRIESBACHIIUS ad h. l.), licet testentur quoque harum sectionum absentiam multi Patres, his omnibus tamen opponi potest magnus Codicum, Versionum, Patrum numerus, has sectiones habentium, easque commemorantium. Unde, si ad externa attendimus argumenta, iis viris Doctis assentiendum esse censemus, qui harum sectt. authenticam vindicarunt. Internis autem argumentis ne nimis tribuant horum adversarii! E rerum enim narratarum discrepantia multi *et* antiquitas *et* etiamnunc authenticam negandi argumentum sumserunt, quas tamen repugnantias facile evanescere mox probaturi sumus. Ad stili dictionisque diversitatem, a genuina Evangelii parte recedentis, provocarunt alii; sic nuper CREDNERUS (infra laudandus) *ἑκατὶ λεγομένων* catalogum dedit verborum *φανερῶσθαι, παρακολοθεῖν, γλώσσας κείνας λαλεῖν, ὄφεις αἶρειν, θανάσιμον πίνειν, καλῶς ἔχειν, πανταχοῦ, συνεργεῖν, βεβαιοῦν, ἐπακολοθεῖν*. Parvi autem haec aestimamus cum WIESELERO (l. modo l.), »quum ea partim res novas, in Evangelio nostro »antea non descriptas, exprimant, partim cum scribendi cogitandique »ratione, apud nostrum usitata, haud ita pugnent, ut ex alieno calamo »derivanda esse necessario existimentur." Quod ad caetera attinet, a MARCI loquendi usu abhorrentia, *πρώτη σαββάτου, ἐκβάλλειν ἀπὸ, ἐκείνη, πορεύεσθαι, πᾶσα κτίσις*, alia, licet suam sibi propriam scribendi rationem habeat unusquisque scriptor, et plerumque, quae cogitaverit, sibi privis verbis exprimere soleat, hoc tamen non ita in re critica est urgendum, ut quasi scriptori licentiam, ea, quibus uti velit, verba in suos usus convertendi nolimus concedere. Quod igitur suadent argumenta externa, internis minime labeficari mihi

S. 12, 13. Mox duo ex discipulorum numero, Emmaunta adeuntes, JESUM viderunt, quibus et cacteri fidem non habuerunt.

S. 14 sqq. Undecim denique discipulis apparuit JESUS,

---

videtur, modo concedamus, non uno tenore ultimum hocce conscripsisse caput Evangelistam, sed quominus pergeret impeditum, deinceps quae alius prorsus generis erant, aut ex alio quodam fonte haurienda, addidisse. Ex duobus jam eligendum est. MARCUM non conscripsisse si statuas s. 9—20, quis, quaero, laborem suscepit supervacaneum prorsus, ut, quod omnibus notum esset, denuo adscriberet MARCI Evangelio? WIESELERUS harum sectionum dicit auctorem Christianum quendam Romanum, e schola Paulina, (quia ante omnia data, ut videtur, opera fidem commendat, fidei vero expertes summopere carpit) incipiente saeculo secundo. Aliter alii; at quo consilio fecerit anonymus ille, quis suspicetur? Quum praeterea, hac assumpta sententia, in tot Codd. non adfuerit pars Evangelii, quam a MARCO minime repetendam esse facile antiqui scivissent. Sit contra harum sectionum auctor ille MARCUS; multae dari causae poterunt, quibus factum, ut unus alterve Codex illis careat, adeoque apud unum alterumve Patrem Ecclesiae de earum authentia non constiterit. Ceterum de hac quaestione cff. CREDNER, *Einleitung in das N. T.* I, 106—108, FRITZSCHII *Comm. in Marci Ev.*, p. 750 sqq., qui argumenta interna inde a p. 716 ponderavit, PAULUS, *Exeg. Handb.* III, 363, NEUBECKER, *Einl.* p. 245 sqq. et scriptores ab iis laudati; quibus omnino addatur C. WIESELERI Diss.: *Indagatur, num loci Marc. XVI: 9—20 et Joh. XXI genuini sint nec ne, eo fine, ut aditus ad historiam Apparitionum Jesu Christi rite conscribendam aperiat, Gott. 1839, p. 4—17.* Hi omnes loci nostri authentiam negarunt; MARCO autem vindicandum eum censuerunt HUGIUS, *Einl.* II, 282 sqq. OLSHAUSENUS, *Bibl. Comm.* II, 577 sqq. alii.

accumbentibus illis, quorum ἀπιστίαν reprehendit, iisque Evangelii praedicandi munus injunxit (1).

Luc. XXIV: 13—32. CLEOPAE, et qui cum eo Emmauntis vicum adiit, JESUS eodem, quo in vitam rediit, die, apparuit; Dominum autem, postquam satis diu cum iis locutus erat, tandem agnoverunt.

S. 33—35. Illis Hierosolyma reversis, et cum discipulis visa auditaque communicantibus, hi PETRO se JESUM conspiciendum praebuisse annunciarunt.

S. 36—49. Ad finem vergente eodem hoc die, undecim apparuit discipulis, manibus tractandum se praebens, deque se testantem S. Scripturam interpretans.

Joh. XX: 14—18. MARIA *Magdalena* cum Angelis locuta JESUM vidit, at non agnovit; mox vero, quin Dominus esset ipse, nulla dubitavit.

S. 19—25. Decem apparuit discipulis suis in vitam reversus Sospitator.

S. 26—29. Octo diebus post undecim apparuit discipulis, quibus THOMAS interfuit.

XXI: 1 sqq. (2). Ad mare Tiberiadis rursus septem

---

(1) S. 15. καὶ εἶπεν αὐτοῖς. Arcissime haec cum s. 14 conjungenda sunt, quia eadem occasione, qua ὠνειδίσει τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν, his verbis usus est JESUS: male igitur nonnulli καὶ = *porro*, *postea* vertunt, vim particulae ἢ Hebraeorum ei tribuentes, ut ita JESUM alio tempore haec dixisse statuerent, nec cum iis pugnare, quae LUCAS et JOHANNES commemorant, quos recte improbat KUINOELIUS *ad Marc.* p. 209. De additamento, quod, secundum HIERONYMUM, post s. 14 nonnulli habuerint Codices, vid. FRITZSCHII *Comm.* ad h. l. p. 728.

(2) A GROTH inde aetate quam plurimi de Capitis XXI authenticia

discipulis videndum se praebuit, cum iis sermones conserens atque edens.

Quod si hujus argumenti, ex JESU apparitionibus petiti, vim percipere velimus, apud nos constet necesse est, de veritate historica eorum, quae memoriae tradiderunt Evangelistae de novae Sospitatoris vitae initio, quae e mortuis resuscitatus denuo cum discipulis versatus est. Illâ probatâ, ad vindicandum JESU in vitam reditum hoc argumentum valebit, quandoquidem e re sub sensu cadente petatum est; utrumque vero num adversarii negaverint, quis dubitet? At nos jam probare conabimur, quaecumque nobis de JESU in vitam revocato, a discipulis conspecto, tradita sunt, fide digna esse quam maxima, tum, quia egregie haec relata inter se conveniunt, neque alteram altera excludit narratio, tum, quia JESU redivi apparitiones, ut fidem habeamus iis, qui de illis

---

dubitarunt, quorum tamen argumentis, cum *interna* unice dici possint, ne nimis tribuatur cavendum est. Provocant ad Evangelii clausulam, XX: 30, 31, iis vero opponitur tum stilus Johanneus, qui cum dictione Apostoli omnino convenit, tum omnium Codicum testiumque idoneorum auctoritas. *Ἀυτόπτην* haec memoriae tradidisse, quis neget, qui vel semel accurate caput hocce perlegerit, ita ut de narratorum ἀξιοπιστίας ne dubium quidem exstare possit, quam una cum capitis authentia vindicavit Doct. J. H. REDDINGIUS, *Disp. de Authentia capitis ultimi Evangelii Johannis*, Gron. 1833, cff. quoque BUG I. I. II, 292 sqq. GUERIKE, *Beitr.* p. 67 sq. quique ab iis dissentiunt CREDNER, l. I. I, 232 sqq. LÜCKE, *Comm. in Joh.* ed. 2, T. II, p. 693 sqq. WIESELER, *Disp. laud.* p. 39 sqq., coll. p. 19 sqq. NEUDECKER, l. I. p. 334, alii.

testimonium ferunt, suadent, *tum*, quia omnia, huc usque ex Evangeliiis percepta et disputata, egregie confirmantur PAULI testimonio, *tum*, quia his nihil inest, quod cum naturae legibus pugnare jure quis statuatur. De quatuor his rerum capitibus jam singulatim videamus, ut de JESU in vitam reditùs *veritate* historica constet.

§ 1.

*Quae de JESU, in vitam revocato, a discipulis  
conspecto, referunt Evangelistae, egregie  
inter se conveniunt.*

In pluribus inter se discrepare Evangelistarum narrationes, ubi discipulis apparuisse e sepulcro redivivum Sospitatorem tradunt, monuit Fragmentista *Guelpherbytanus* <sup>(1)</sup>, eique assentiens STRAUSSIIUS multus quoque est in dubiis ex earum repugnantia petitis, contra Evangelistarum fidem historicam movendis, quem igitur hac de re disserentem *primum* audiamus, ut, quatenus ei concedendum sit, *deinde* videamus.

I. Ita igitur STRAUSSIIUS <sup>(2)</sup>. Quod attinet ad locum, ubi JESUS apparuerit, *et* Angelus *et* ipse JESUS apud MATTHAEUM Galilaeam locum designant, ubi se ostenderet, cujus apparitionis mentio injicitur Matth. XXVIII: 16 sqq. MARCUS de Galilaea non cogitasse videtur,

---

(1) Vid. DOEDERLEINII *Fragm. u. Antifr.* I, 178 sqq.

(2) L. I. II, 639 sqq.



quum Angeli verborum ὅτι προάγει ὑμᾶς εἰς τὴν Γαλιλαίαν nulla ratione habita, apparuisse quidem JESUM narret, verum una eademque, qua antea, contexta oratione. Ne ex Hierosolymis exeant, monet JESUS apud LUCAM, uniceque prope urbem vel in urbe ipsa videndum se praebuit Dominus, illo tradente. Contra apud JOHANNEM de Galilaea nihil monent Angeli, et primum in urbe se conspiciendum discipulis praebuit Sospitator; deinde, ut in appendice traditur, in Galilaea, ad mare Tiberiadis Eum viderunt. Quocirca duplicem oriri quaestionem, monet STRAUSSIUS: 1. Quì discipulos adhortari potuerit JESUS, ad iter in Galilaeam suscipiendum, simul vero eos jubere, ad festum usque Pentecostes Hierosolymis versari? 2. Quì discipulis promittere potuerit in Galilaea videndum se iis praebiturum esse, si consilium cepisset, ipso, quo e mortuis resuscitatus est, die Hierosolymis eos conveniendi? (1)

Magni fecit Fragmentista *Guelpherb.* prioris quaestionis difficultatem, statuens, ejus vel partem priorem vel posteriorem tantum veram, falsam contra alteram esse partem, et credi vix posse, longum iter in Galilaeam discipulos instituisse, ut JESUM viderent, postquam Hierosolymis cum Eo bis edissent et locuti fuissent. —

---

(1) Hanc quoque JULIANUS movisse videtur difficultatem, teste EUTHYMIO *Zigabeno*: » non autem mentitus est CHRISTUS, quod stulte » JULIANUS Apostata dixit, quasi promiserit, se in Galilaea videndum esse et Hierosolymis se eis videndum praebuerit." Ad Matth. XXVIII.

LESSINGIO, qui cum eo fecit, assentiens STRAUSSIIUS statuit, sensim sensimque Christophaniis, quas in Galilaea obtinuisse narrat MATTHAEUS, Hierosolymitanas addidisse seriore*m traditionem*, quippe quae ad probandam JESU resurrectionis veritatem eo majorem habuerint vim, quo magis prope sepulcrum obtinuerint, illasque deinceps his prorsus fuisse obscuratas, quum nullius fere fuerint amplius momenti. Hac assumpta sententia, explicatu non difficile censet, quam ob causam CHRISTI apparitiones in Galilaea JOHANNES, appendicis ad instar, LUCAS vero nullibi commemoret. Quae STRAUSSII (1) argumentationis conclusio (*vom Standpunkte möglicher Sagenbildung aus sich ergebende Resultate*) tandem aliquando favere videtur MATTHAEI Evangelio, quod plerumque ab eo aliisque recentiore aetate inique tractari solet.

Ipsas vero Sospitatoris apparitiones in concordiam redigere difficile nobis erit, STRAUSSIO monente. Omnium primam JESUM vidisse MARIAM *Magdalenam* narrant MARCUS et JOHANNES; mulieribus autem, domum redeuntibus, inter quas MARIAM *Magdalenam* recenset, Dominum apparuisse tradit MATTHAEUS. Ita de eadem apparitione diversa prorsus ratione loquuntur. Mox duobus illis, quorum alter CLEOPAS, apparuit JESUS; a MARCO autem relata hic minime cum Lucana narratione conveniunt, quum tradat ille, discipulos iis minime fidem habuisse Hierosolyma redeuntibus, eosque de JESU in

---

(1) L. l. II, 648 sq.

vitam reditu certiores facientibus; apud LUCAM contra eos invenisse discipulos et qui cum iis erant, λέγοντας ὅτι ἠγέσθη ὁ Κρίσιος ὄντως, καὶ ᾤφθη Σίμωνι: hoc vero Marci additamentum »rührt wohl nur,“ monente illo, »von einer Uebertreibung des Marcus her, welcher den Contrast der überzeugendsten Erscheinungen Jesu, mit dem fortdauernden Unglauben der Jünger nicht aus den Händen lassen wil.“ Sequitur apparitio, cujus LUCAS mentionem fecit, Hierosolymis una conjunctis τοῖς ἑνδεκα, quam commemorat JOHANNES (XX: 19); ibi vero LUCAS diversa conjunxisse dicendus est, vel conjuncta disjunxisse JOHANNES; etenim manibus pertractarunt redivivum e sepulcro (Luc. XXIV: 39, 40), quod septem diebus post factum esse narrat JOHANNES (XX: 27); piscis favique frustum edit JESUS (Luc. XXIV: 42, 43), quod ad mare Tiberiadis Eum fecisse tradit JOHANNES (XXI: 13, 15). Ab utroque relatis obest MATTHAEUS, quem si audiamus, discipuli Galilaeam adierunt, ut JESUM viderent. Tandem caeteris apparitionibus nullum locum relinquunt MARCUS et LUCAS, qui uterque cum illa apparitione JESU in coelum ascensionem conjungit.

Deinde discipulis, inter quos THOMAS erat, JESUS apparuit (Joh. XX: 26), eorumque septem deinceps ad mare Tiberiadis (XXI: 1.). Hoc vero non convenit cum MATTHAEI narratione: nam quam commemorat MATTHAEUS apparitio in Galilaea, ea esse videtur, de qua JESUS monuit, ipso illo, quo in vitam rediit, die, atque igitur prima, quae in Galilaea obtinuit, neque antea ob-

tinere potuit Johannea illa ad mare Tiberiadis; multo vero minus postea, quandoquidem secundum MATTHAEUM, JESUS solemniter modo discipulis valedixit. Neque JOHANNES recte dicere potuit: *τούτο ἤδη τρίτον ἐφανερώθη ὁ Ἰησοῦς τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ* (XXI: 14), si bis jam Hierosolymis, praeterea vero in Galilaea (Matth.) discipulis JESUS apparuisset. Quid? quod hocce *τρίτον ἐφανερώθη* omni modo tibi difficultatem parit! Etenim nulla mulierum ratione habita, prima apparitio CEPHAE, altera Emmaunta proficiscentibus contigerit; tertiam autem illam fuisse, quae in Galilaea obtinuit, ne putes, quia ita inverso JOHANNEM narrasse ordine tibi statuendum est (narrat enim ille, antea bis se conspiciendum undecim discipulis praebuisse JESUM). Quod si verba *τοῖς μαθηταῖς* urgemus, de pluribus discipulis ea interpretantes, prima discipulis contigit Emmaunta aduentibus; altera discipulis decem, die illo, quo in vitam rediit JESUS; tertia autem apparitio in Galilaea, quo fit, ut prior haec numeretur, quam quae apud JOHANNEM secunda est. Primam igitur illam JOHANNES non recensuerit? Sit prior apparitio Domini coram decem discipulis, altera coram undecim una cum THOMA, at tertiam ne eam dicas, quae ad mare Tiberiadis obtinuit, quia illi, cujus MATTHAEUS mentionem facit, hanc postponamus necesse est. Ex hisce sequitur, neque JOHANNEM de caeteris in Galilaea apparitionibus quidquam scivisse, nec MATTHAEUM earum certiore factum esse, quas prope Hierosolyma obtinuisse monet JOHANNES, cf. Joh. XX: 25, 28, coll. Matth. XXVIII: 17 (*οἱ δὲ ἐδίστασαν*).

Denique pugna adest inter Matth. XXVIII: 18—20 et Act. Ap. I: 4 sqq., coll. Luc. XXIV: 49 sqq. (1).

Concludit criticus noster, repugnantiae ratione habita, quae intercedat inter narrationes de JESU in vitam revocato, a discipulis inspecto, quum de loco et tempore non conveniant, numerus fluctuet neque ordo conspiciatur, » *so müsste man absichtlich blind seyn wollen, wenn man nicht anerkennen würde, dass keiner der Berichtersteller das, was der andere berichtet, kannte und voraussetzte; dass jeder die Sache wieder anders gehört hatte; dass somit über die Erscheinungen des auferstandenen Jesus frühzeitig nur schwankende und vielfach variierte Gerüchte im Umlauf waren.*»

II. Concedimus, hisce Evangelistarum narrationibus nonnulla inesse, quae mira omnino videantur; at minus tamen recte repugnantia a STRAUSSIO dicuntur. Iterum hic, prouti antea eum fecisse supra (2) vidimus, argumento *e silentio* petito, nimium tribuit, atque omnia narrare *debuisset* Evangelistas statuere videtur, ea vero quae non tradiderint, eos nescivisse. Etenim hoc tenere nos oportet, omnia nobiscum communicare neque voluisse, nec potuisse S. Scriptores, contra sufficere omnino, aliam totius partem alterum, aliam alterum tradidisse.

---

(1) Cff. quae de his habet l. I. II, 650—659, quo loco rationem quoque habendam esse censuit eorum, quae tradit PAULUS 1 Cor. XV: 5—7. De his autem infra videbimus.

(2) Pag. 56, 59 sq.

Nam utrum bis, an quater suis se conspiciendum prae-  
buerit JESUS, nihil refert, si ad rei summam attendimus.  
Apparuisse Eum discipulis omnes Evangelistae tradunt.  
Bis conspiciendum se praebuisse JESUM, MATTHAEUS scri-  
bit, ter MARCUS et LUCAS, quater JOHANNES. Constat  
igitur, discipulos vidisse Magistrum; verum aliter alii  
hanc rem exponunt Evangelistae, quocirca diversitatem  
cernimus nos, ubi repugnantiam adversarii. Etenim  
»die Evangelien erzählen nicht mehr eine zusam-  
»menhängende Lebensgeschichte, sondern einzelne Er-  
»scheinungen des Auferstandenen, in denen sich die  
»Geschichte nicht weiter entwickelt, und, abgesehen  
»von dem Zusatzcapitel des 4 Evangeliums, mit  
»auffallend geringem individuellen Inhalte.“ (1)

Valet hoc de loco, ubi cum amicis JESUS versatus  
sit, postquam in vitam redierat. Judaeae et Gali-  
laeae mentionem faciunt MATTHAEUS et JOHANNES, MAR-  
CUS vero et LUCAS Galilaeam non commemorant. Quod  
miramur omnino, quia totidem verbis apud MARCUM  
Angelus dixerat: εἶπατε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ καὶ τῷ  
Πέτρῳ, ὅτι προάγει ὑμᾶς εἰς τὴν Γαλιλαίαν. Iis autem,  
quae nobiscum communicavit MARCUS, contenti sumus,  
atque etiamsi quis statuatur, eum apparitionum, quae in  
Galilaea obtinuerint, certiore non factum esse, quod  
minime concedimus, equidem tamen non video, quomodo  
caeterorum narrationis veritati quidquam detrahatur,  
aut ipsi MARCO hanc ob causam minorem fidem habe-

(1) HASE, *Leb. Jesu*, ed. 3, § 124.

amus. Haec quoque de LUCA dicta sunt, qui de Galilaea ne verbo quidem monet. Quod autem illi tacent, supplet MATTHAEUS, qui primum quidem prope Hierosolyma, deinde vero in Galilaea Dominum se conspiciendum praebuisse tradit; qui nullam quidem coram discipulis apparitionem commemorat Hierosolymitanam, neque CLEOPAE ejusque socii rationem habet; at quis propterea statueret, JESUM his discipulis non apparuisse? Nihil JOHANNES de duobus illis, qui Emmaunta adierunt; MARCUS et LUCAS hujus apparitionis certiores nos fecerunt, iisque lubenter fidem habemus, tacente etiam JOHANNE, et salva hujus fide historica. Majore haec jure statuisse mihi videor, quam STRAUSSIVS, quaecunque de *traditione* monet, narrationum nostrarum fictrice, quod critici systema volitantium foliorum compagi similis est, quam validis fundamentis nitenti aedificio. Quaecunque enim de fide historica universe monuimus eorum, quae Evangelistae nobis tradiderunt de JESU in vitam reverso <sup>(1)</sup>, haec valent quoque de hisce ab Evangelistis relatis, ita ut nullus *traditioni* locus relinquatur, quo ejus figmenta appareant.

Sed de JESU, ab amicis conspecto, nobis videndum est. MARIAE, lacrimas prope sepulcrum magistri fundenti, apparuit JESUS. Sola fuit illa, ut ex Johannea narratione patet, prima fuit secundum MARCUM, quae redivivum vidit; huic assentit quidem MATTHAEUS, comitem vero ei dedit MARIAM matrem JACOBI. At supra jam vidimus,

---

(1) Cf. supra pag. 79 sqq.

eum de MARIA *Magdalena*, quae PETRUM et JOHANNEM adierit, tacuisse, pluraque conjunxisse; ita quoque mulieres ad urbem rediisse, at non vidisse Dominum, ad sepulcrum reversam esse MARIAM *Magdalenam*, solamque vidisse Dominum partim tradidisse, partim omisisse MATTHAEUS mihi visus est. Certo hoc affirmare non ausim, sed verosimile esse opinor, JESUM a caeteris mulieribus eo, quo in vitam rediit die, non conspectum esse, quatenus hoc ex Evangeliiis effici potest. Etenim secundum LUCAM (XXIV: 9), *ὑποστρέψασαι ἀπὸ τοῦ μνημείου ἀπήγγειλαν ταῦτα πάντα τοῖς ἑνδεκα καὶ πᾶσι τοῖς λοιποῖς*, qui ὡσεὶ λῆρος earum verba existimarunt. Attamen certe de JESU apparitione locutae fuissent, si ipsum Dominum vidissent: quid vero CLEOPAS? s. 22, *γυναικὲς τινες ἐξ ἡμῶν*, inquit, *ἐξέστησαν ἡμᾶς — λέγουσαι καὶ ὀπτασίαν ἀγγέλων ἑωρακέναι, οἳ λέγουσιν αὐτὸν ζῆν*, sed de ipso JESU ne verbum quidem. A MARCO quoque relata intellectu difficilia sunt, si statuendum est, JESUM apparuisse mulieribus, quum minus commode s. 8 conjungatur cum s. 10, ubi MARCUS, de *πενθοῦσι καὶ κλαίουσι* loquitur, qui tamen nuntium de JESU rediivo et a mulieribus viso accepissent necesse est. Quod igitur ad summam rei attinet, cum caeteris convenit MATTHAEUS; at plura conjunxit, quae discernenda sunt. MARIAE *M.* mandavit JESUS, ut cum discipulis communicaret, in Galilaea Eum discipulis se conspiciendum praebiturum (Matth.) et ad Patrem dein Eum abiturum esse (Joh.). In urbem reduci fidem ei οἱ μετ' αὐτοῦ (*Ἰησοῦ*) *γενομενοί* denegarunt, prouti MARCUS addidit.



Paullo post duo e discipulorum numero, vicum in urbis vicinia adierunt, inter se sermones conserentes, cum, ecce! iis JESUS adstitit, eos alloquens, mox cum iis mensae accumbens, quem licet primum non agnovissent, deinceps tamen revera Eum fuisse sibi persuaserunt, quem mortuum luxerant. Ille autem jam abierat, quocirca redeuntes Hierosolyma adierunt, et e discipulis audierunt, *ὅτι ἠγέρθη ὁ Κύριος ὄντως, καὶ ὤφθη Σίμωνι.* Haec LUCAS, quorum breviter tantum mentionem facit MARCUS, qui addit, eos *ἀπέλθόντας* haec annuntiasse *τοῖς λοιποῖς· οὐδὲ ἐκεῖνοις ἐπίστευσαν* illi. Hoc minime cum Lucana narratione pugnat; etsi enim, referente LUCA, plures de JESU in vitam reditu sibi persuaserunt, in primis propter apparitionem illam, quae PETRO contigit, tamen, cum ibi non tantum *τοῖς ἑνδεκά* adfuisse commemoret LUCAS, sed insuper *τοῖς σὺν αὐτοῖς* (s. 33), facile fieri potuit, ut inter hos nonnulli ne CLEOPAE quidem fidem habuerint; quid? quod ipsi adeo THOMAE commune omnium Apostolorum testimonium de JESU in vitam reditu deinceps non persuasit (Joh. XX: 25)! Hoc secundi Evangelii additamentum igitur nequaquam »*von einer Uebertreibung des Marcus*» originem ducit, uti STRAUSSIUS monuit, cum accurata locorum collatio Evangelistarum in minimis quoque rebus doceat fidem historicam.

Ad finem vergente die, quo in vitam rediit JESUS, postquam laetum e CLEOPA nuntium audierant et cum eo ejusque socio communicaverant decem discipuli, ejusmodi quid non expectantibus iis adstitit JESUS, quos

valde gaudentes allocutus est, et, monente LUCA, *πνεῦμα θεωρεῖν* existimantibus iis corpus ostendit *σάρκα καὶ ὀστέα* habens. Nulla causa adest, cur ea, quae LUCAS de hisce narrat, pugnare statuamus cum iis, quae tradit JOHANNES; nam brevior hic, ubi plura habet ille, licet THOMAM abfuisse non addat; nec video, quidni in hisce idem saepius accidere potuerit, e. c. corporis contrectatio, ubi spiritum iterum videre opinati sunt, quidni bis coram discipulis edere potuerit JESUS, quo magis de ejus resurrectionis veritate sibi persuaderent, prouti haec infra JOHANNES tradit. Quominus autem statuamus, CLEOPAM cum socio, caeterosque *τοὺς ὄντες αὐτοῖς* (sc. *τοῖς ἑνδεκά*) a discipulis discessisse, antequam iis JESUS apparuerit, LUCAE sane narratio minime impedit, imo vero nobis favet narratio Johannea.

Qui vero factum est, ut Angelus haud secus atque JESUS ipse de Galilaea locutus sit, eo, quo in vitam rediit, die, tamquam de loco, ubi discipulis appariturus esset, utque nihilominus ipso illo die pluribus jam conspicendum se praebuerit? Scilicet, neque Hierosolymis, neque in Judaea jam tutus ab inimicorum insidiis cum amicis versari poterat: ipsi *τῶν θυρῶν κεκλεισμένων* — *διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων* congregati erant. Quod probe cognitum habens, inter medios amicos JESUS versari maluit, quam inter inimicos, qui jam de Ejus in vitam reditu certiores facti erant, quum etiam valde esset metuendum, ne inter vulgus hujus rei fama percrebesceret (Matth. XXVIII: 11—15). In Galilaea contra quam plurimi amore cum prosecuti erant, at

mortis nuntio audito, tristes mortuum lucturi fuissent. Omnibus igitur Galilaea potius adeunda erat, non ipsa illa, qua mandavit, hora, at festo Paschatis celebrato. Indicavit non tantum undecim discipulos, sed omnes omnino suos asseclas; ipsas quoque mulieres, quas in primis innuit Angelus apud MATTHAËUM; etenim verba καὶ ἰδοὺ, προάγει ὑμᾶς εἰς τὴν Γαλιλαίαν non verba fuisse videntur, quae cum JESU μαθηταῖς communicare debuerunt, sed de ipsis mulieribus valuit illud: ἐκεῖ αὐτὸν ὄψεσθε = vos, mulieres (uti caeteri), ibi Dominum conspicietis! Ita quoque apud MARCUM et LUCAM (cf. XXIV: 9, τοῖς ἑνδεκα καὶ πᾶσι τοῖς λοιποῖς); quocirca omnia egregie conveniunt. — Nam, licet omnibus amicis, praesertim in Galilaea, se conspiciendum praebiturus esset, tamen antea, ut tristes eorum animos erigeret, Hierosolymis adhuc versantibus illis Eum apparuisse, quis miretur, nisi STRAUSSIO faveat? Praeterea, ut recte OSIANDERUS <sup>(1)</sup>, »geht die skeptisch-sophistische Vergleichungs- und »Berechnungsweise der Erscheinungen (STRAUSSII) »von der willkürlichen Voraussetzung aus (in Hin- »sicht auf die bei Matth. verheissene Erscheinung), »man verabrede nicht eine zweite Zusammenkunft, »in einer Gegend, in der man die erste unbestimmt »lasse.“ Injuria difficultatem movet, Hierosolymis versatum esse Sospitatore in vitam revocatum, antequam Galilaeam adiret, neque tamen cum VELTHUSENO, WESTIO,

---

(1) L. l. p. 337.

OLSHAUSENO <sup>(1)</sup> aliisque conjectura indigemus illa, qua statuamus, altera illa vice, qua undecim discipulis, una cum THOMA congregatis, JESUS apparuerit, Galilaeam eos jam adiisse, ibique illa accidisse. Etenim non tantum illis obstat, quod nullam itineris et mutati domicilii mentionem injiciat JOHANNES, sed in primis hoc, quod, assumpta hac sententia, τῶν θυρῶν κεκλεισμένων (s. 26) nulla dari possit causa, quippe quod Hierosolymis quidem διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων necessarium, at in Galilaea supervacaneum prorsus fuisset. Conveniunt igitur Joh. XX: 26 sqq., ubi cum THOMA Sospitator locutus est, cum Marc. XVI: 14, ubi ἀνακειμένοις τοῖς ἑνδεκά apparuit, καὶ ὠνειδίσει τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν κτλ, quod recte congruit praesertim cum THOMAE agendi ratione, de quo valebat, quod exprobat JESUS apud MARCUM, τοῖς θεασαμένοις αὐτὸν ἐγγεγραμμένον οὐκ ἐπίστευσαν. — Probabile igitur nobis videtur, Paschatis festo celebrato, discipulos Galilaeam adiisse; eorum nonnullos, JESUM expectantes, prope mare Tiberiadis interea versatos fuisse, ibique Sospitorem conspexisse, prouti narratur Joh. XXI; dein vero, quum omnes, quotquot aretiore vinculo cum JESU erant conjuncti, de Ejus in vitam reditu certiores facti essent, quam pluribus JESUM se conspiciendum praebuisse in monte Galilaeae (Matth. XXVIII: 16—20), prouti antea illud significaverat (Matth. XXVI: 32).

<sup>(1)</sup> Cf. VELTHUSEN, l. l. p. 135—139; G. WEST, de *Geschiedenis van de opstanding* etc. p. 235 sq.; OLSHAUSEN, *Comm.* II, 574.

At vero, ipso illo, quo e mortuis resurrexerat, die, JESUS discipulis praeceperat: *ὁμοῖς δὲ καθίσατε ἐν τῇ πόλει Ἱερουσαλήμ, ἕως οὗ ἐνδύσησθε δύναμιν ἐξ ὕψους* (Luc. XXIV: 49), quibus monitis *ἐξηγάγε αὐτοὺς ἔξω ἕως εἰς Βηθανίαν· καὶ ἐπάρας τὰς χεῖρας αὐτοῦ, εὐλόγησεν αὐτοὺς — καὶ ἀνεφέρετο εἰς τὸν οὐρανόν*, s. 50 sq. Quomodo haec cum antecedentibus conveniunt, aut cum iis, quae ipse LUCAS narrat in Act. Apost. I: 3 sqq.? Hoc mihi objicientes nonnullos audio. Tenendum vero est, LUCAM monuisse, δι' ἡμερῶν τεσσαράκοντα ὀπτανόμενον discipulis, his in terris JESUM versatum esse, quibus igitur, quae antea narravit, explicasse et illustrasse censendus est; quod, quidni statuamus, non video. Egregie enim Luc. XXIV: 48—51 conjungi ita possunt cum Act. Ap. I: 3—9, ut, quae illo loco brevius, hocce accuratius tradiderit. STRAUSSIO hoc minime placet, statuenti, nemini licere ab ipsius scriptoris verbis recedere, praesertim cum eo ducitur »metu, »ne fortasse variis scriptis sibi scriptor quidam re- »pugnet; etenim quum altero serius alterum con- »scripserit, fieri potest, ut interea plura melius, »quam antea ea cognovisset, edoctus sit;” quod et LUCAE accidisse ipse concedit <sup>(1)</sup>. Attamen STRAUSSIUS, qui nonnumquam metuere videtur, ne scriptor cum alio aut secum ipse conveniat, quod ad rei summam attinet, nobiscum facit, eo tamen discrimine, ut LUCAM antea nescivisse statuat, quae postea conscripserit, quum con-

(1) Cf. l. l. II, p. 643, 714.

tra nobis praeplaceat statuere, LUCAM, quod antea brevius, deinde pluribus usum verbis scripto mandasse. Statuimus igitur, die quadragesimo post resurrectionem, proxime adstante Ejus ad coelum ascensione, postquam e Galilaea Hierosolyma redierat, JESUM discipulos adhortatum esse: ὑμεῖς δὲ καθίστατε ἐν τῇ πόλει Ἱερουσαλήμ. Brevissime eodem modo haec narravit MARCUS ad Evangelii finem.

At nondum vidimus de longa illa serie difficultatum, quas nobis movere monuit STRAUSSIIUS verba illa (Joh. XXI: 14), τοῦτο ἤδη τρίτον ἐφανερώθη ὁ Ἰησοῦς τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ἐγεροθεὶς ἐκ νεκρῶν. Innuvit scriptor eas apparitiones, quae pluribus discipulis, una congregatis, contigerant, quas in Evangelio Johanneo commemoratas videmus, caeterarum, quas silentio ipse praeteriit, nulla ratione habita. Scilicet Hierosolymis bis apparuit JESUS τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, altera vice decem, undecim altera discipulis; ad mare Tiberiadis denique tertia vice. Tandem in Galilaeae monte conspicuus factus est redivivus Sospitator, quam apparitionem unus MATTHAEUS tradidit, XXVIII: 16 sqq. Hic solemnns mihi fuisse videtur conventus omnium, quotquot arctiore vinculo cum CHRISTO erant conjuncti, qui nondum omnes Eum post reditum in vitam conspexerant; quocirca facile fieri potuit, ut, quod addit MATTHAEUS (s. 17, οἱ δὲ ἐδίστασαν), nonnulli dubitaverint, quae verba minime undecim discipulos spectant, quippe qui saepius jam viderant, ibique exspectarunt redivivum e sepulcro Magistrum.

Num igitur Evangelistarum de JESU, a discipulis conspecto, narrationes tam vagae et abruptae sunt? Num adeo flocci sunt existimandae, ut nulla iis fides sit tribuenda? Num ex eo, quod non continua serie haec omnia tradantur, argumentum petendum est contra ipsarum apparitionum *veritatem*? Quod si omnia urgere velimus, ad literas attendentes, narrationum vero sensum negligentius indagantes, contorte sane in concordiam rediguntur ab Evangelistis relata, atque haec quoque causa est, quod adversarii plures moveant difficultates. Sic minime cum HIERONYMO <sup>(1)</sup> statuimus, MARIAM *Magd.* bis Dominum illo die vidisse, quo in vitam redierat, altera vice (Matth. XXVIII: 9) una cum caeteris mulieribus, altera vice (Joh. XX: 16) sola, prope sepulcrum; aut cum AUGUSTINO <sup>(2)</sup>, qui, ne difficultatem moveant Angeli verba *προάγει ὑμᾶς εἰς τὴν Γαλιλαίαν*, »Galilaea,» inquit, »interpretatur vel trans-»migratio vel revelatio. Prius itaque secundum trans-»migrationis significationem, quid aliud occurrit intel-»ligendum, *Praecedat vos in Galilaeam*, etc, nisi »quia CHRISTI gratia de populo Israël transmigratura erat »ad gentes? — *ibi eum videbitis*, id est, ibi ejus »membra invenietis, ibi vivum corpus ejus in iis, qui »vos susceperint, agnoscetis;» mysterium his in verbis suspicato. Quid? quod HARDUINUS <sup>(3)</sup> statuit, per Ga-

(1) L. I. 5.

(2) L. I. 86.

(3) Cf. PLESSINGIUS, l. I. I, p. 371. HARDUINO recentiori tempore

lilaeam Angelum intellexisse partem quamdam montis Olivarum! Ejusmodi certe interpretationes vehementer nocent Evangelistarum narrationibus, eadem ratione, qua aliorum repugnantias quaerendi studium, quo ductus, Fragmentista *Guelpherb.* (1) eandem habuisse videtur apparitionem in Galilaea, a MATTHAEO et JOHANNE commemoratam, quum de longe alia apparitione uterque loquatur.

Caeterum, perspicuitatis causa, hinc quoque adjicere liceat *narrationum* nostrarum, in concordiam redactarum, *conspectum*.

MATTHAEUS.	MARCUS.	LUCAS.	JOHANNES.
XXVIII: 9, 10.	XVI: 9.		XX: 14—18.
Mulieribus obvi- us factus est JE- sus.	MARIAE Magd. JE- sus conspicien- dum se praebuit.		MARIAE Magd. JE- sus conspicien- dum se praebuit.
		XXIV: 34.	
		PETRO redivivus apparuit JESUS.	
	12.	13—33.	
	Duobus e disci- pulorum numero JESUS apparuit.	CLEOPAE ejusque socio redivivus So- spitator apparuit.	

assensit C. P. SANDER, *Jezus, zynen Apostelen op denzelfden dag zynen verrijzenis in Galilaea verscheenen*, qui de tabernâ in monte Olivarum, *Galilaeâ* dictâ, cogitandum esse censet!

(1) Cf. DOEDERLEINIUS, l. l. I, p. 190.



36 sqq.

Discipulis apparuit JESUS.

19—23.

Decem discipulis subito JESUS adstitit.

14 sqq.

Undecim discipulis apparuit in vitam revocatus Sospitator.

26—29.

Undecim discipulis, quum et THOMAS adesset, JESUS apparuit.

XXI: 1 sqq.

Septem apparuit discipulis ad mare Tiberiadis redivivus Sospitator.

16 sqq.

In monte Galilaeae discipulis JESUS apparuit.

Atque haec quidem hactenus. Viderunt discipuli Sospitatore e mortuis resuscitatum, et cum Eo aliquamdiu versati sunt, antequam ad coelum ascenderet. Hac de re iis quam persuasissimum erat, atque nemo est, quin egregie eos sibi persuadere potuisse videat, de JESU in vitam reditûs veritate. Testes illos habemus idoneos, quibus παρέστησεν ἑαυτὸν ζῶντα μετὰ τὸ παθεῖν αὐτὸν ἐν πολλοῖς τεκμηρίοις (Act. I: 3), et qui de re sub sensu cadente testimonium ferunt. Attamen hoc ipsum, cum de eo addubitetur, accuratius exponere nobis liceat.

§ 2.

JESU redivivi apparitiones suadent, ut fidem  
habeamus iis, qui de illis testimonium  
ferunt.

Quoties de re sub sensus cadente iudicium ferunt homines, non ita metuendum est, ne errent aut falsa tradant, si saltem verum dicere velint, nec mente acceptis opinionibus impedianur. In ipsam enim rem inquirere, ejusque adjuncta dijudicare iis datum est, adeoque majore fide digni sunt habendi, quod de JESU quoque discipulis valere statuimus. Iis enim conspiciendum se praebuit Ille, corpore indutus humano; Eum viderunt tantum discipuli, non vero inimici, quo quidem factum est, ut ab altera parte *αυτόπται* desint, qui discipulorum confirmant testimonium, simul vero hos redivivi testes dicimus idoneos. Apparuit JESUS homo hominibus et cum iis humana ratione versatus est, non ita quidem assidue ut antea solebat, verum tamen satis diu, ut de Ejus resurrectionis veritate egregie sibi persuadere potuerint. Haec autem non facile omnes nobis concedent. Ut dicta igitur confirmemus et probemus, singulatim nobis videndum erit *primum* de corpore, quo indutus, apparuerit JESUS, *deinde* de iis, quibus conspiciendum se praebuerit, ut *tandem* de apparitionum indole constet, quae, si adversarios audire velis, nullam in re nostra probandi vim habent.

I. Scilicet, res sic sese habet, ut, quum negent

nonnulli, corpore humano indutum JESUM a discipulis conspectum esse, alii vero de visionibus cogitent, sponte pateat, hos de re sub sensus cadente loqui non posse, si JESUM in vitam revocatum discipulis conspiciendum se praebuisse dicunt. E re nostra igitur esse duximus, a quaestione exordiri: *Quonam corpore indutus fuerit, postquam in vitam rediit, JESUS?* Hac in quaestione dijudicanda valde discrepant virorum doctt. judicia, ita ut in tanta opinionum diversitate tutissimum sit habendum, unice, quid ipsis hac de re Evangelistis visum sit, quaerere. Breviter vero *primum* videbimus, quid alii de ea statuerint, ut *deinde* Evangelistarum de redivivi corpore opinionem nostram dicamus.

A. Tres potissimum inierunt vias in corporis CHRISTI natura dijudicanda Theologi, quorum alii CHRISTO e morte resuscitato aliud corpus tribuerunt, quam quo ante mortem fuerat usus, mutatum illud etiam quoad *substantiam*; alii idem corpus dixerunt, sed glorificatum, vel, prout antiquiores loqui solebant, mutatum quoad *qualitates* attinet; alii idem prorsus corpus fuisse existimarunt, quo ad crucem actus indutus fuerat.

De *Docetis*, *Phantasiastis*, *Phantasiadocetis*, vel quocumque nomine insigniri soleant, non est quod hic dicamus. Illi enim corpus vere humanum JESU abjudicantes, phantasticum contra, vel quod humani corporis speciem tantum referret, ei tribuentes, atque ἐν δοκίσει Eum hoc nomine hominibus similem fuisse statuentes, non aliter de redivivo senserunt. At fuerunt, qui CHRISTO his in terris versanti, antequam mortem subiisset, cor-

pus humanum tribuentes, statuerent, corpore Eum indutum fuisse subtili et aethereo, e sepulcro progredientem, quod cum carne humana comparari non posset. Sic ORIGENES (*contra Cels.* II, 62.) ἦν, inquit, μετὰ τὴν ἀνάστασιν αὐτοῦ, ὡσπερ εἰ ἐν μεθόριω τινὶ τῆς παχυτήτος τοῦ πρὸ τοῦ πάθους σώματος καὶ τοῦ γυμνῆν τοιοῦτου σώματος φαίνεσθαι ψυχῆν, et alibi (III, 41.) corporis JESU ποιότητα mutatam esse dixit εἰς αἰθέριον καὶ θεῖαν ποιότητα. Sic quoque CLEMENS *Alexandrinus* et CHRYSOSTOMUS, quorum hic (ad Joh. XXI: 10): ἐφαίνετο γὰρ ἄλλη μορφή, ἄλλη φωνή, ἄλλω σχήματι, ἐπέστη πολλάκις τοῖς ἀποστόλοις καὶ οὐκ ἐγνωρίζετο. THEODORETUS, AMMONIUS (saec. 5.), ANASTASIUS *Sinaita* (saec. 6) statuerunt, coram discipulis CHRISTUM non comedisse, cibo indigentem, verum ut iis de resurrectionis veritate (*realitate*) persuaderet; provocant ad clausas januas, per quas CHRISTUS transierit; ad modum, quo subito discipulis adstiterit, abierit, etc. At dubiae quoque interpretationis eorum verba videntur. Sic e. c. THEOPHANES (Hom. 35) corpus in substantiam αὐλιαν transmutatum fuisse negat, verum in λεπτότητα spiritûs confirmat; alio loco ἄσαρκον μὲν, οὐκ ἀσώματον CHRISTUM dixit, quam tamen locutionem »ἄσαρκον» ex THEOPHYLACTO = ἀθάνατον interpretatur SUICERUS (*Theos.* v. ἀνάστασις), qui fluctuare hanc doctrinam animadvertit, quaerens: »si CHRISTUS post resurrectionem non » est ἀσώματος, ut jam supra confitentem habuimus THEOPHANEM, qui εἰς λεπτότητα πνεύματος mutatus? » Quod ad THEOPHYLACTUM attinet, hic σῶμα ἄφθαρτον

καὶ θεουδέστατον καὶ μηκέτι σαρκικοῖς νόμοις ὑποκείμενον  
 Ei tribuit (ad Joh. XX), atque etiamnunc Ecclesia Catho-  
 lica eandem profitetur sententiam. Postea plerique JESU  
 resuscitati corpus, quoad substantiam, idem dixerunt,  
 verum exstiterunt tamen, qui ab his recederent. Sic  
 e. g. praecedente saeculo in patria nostra P. NIEUWLAN-  
 DUS <sup>(1)</sup> CHRISTO redivivo sanguinem esse tribuendum  
 negavit, et P. MARHEINECKIUS indutum CHRISTUM statuit  
 »mit solchem aetherischen Leibe, dem Geiste am  
 »nächsten verwandt und eigen, selbst die Substanz  
 »dieses irdischen Leibes,“ etc. Aethereum quoque JESU  
 fuisse corpus H. A. ZEIBICH, illudque sensim paulatimque  
 ad Ejus in coelum ascensionem immutatum esse dixit OLS-  
 HAUSENUS; aethereo valde simile CHRISTO corpus tribuit  
 KÜHNIIUS, de quo inferius. Hi omnes ubi aethereum,  
 subtile aut spirituale dixerunt corpus redivivi, minime  
 hoc idem fuisse, quod antea, affirmare potuerunt, quia  
 ita revera, quod attinet ad corporis materiem, immu-  
 tatum fuisse dicendum est.

Fuerunt alii, qui idem corpus, sed *glorificatum*,  
 CHRISTO tribuerent, et novis *qualitatibus* et attributis  
 (ut antiquiores loqui solebant) ornatum: hi corpus dixe-  
 runt glorificatum, σώμα τῆς δόξης. Ita IRENAEUS, TER-  
 TULLIANUS, CYPRIANUS, dixitque illud IRENAEUS μετὰ  
 τὴν ἀνάστασιν ἀφθαρτισθέν, atque ad corpus juvenis  
 Nainitici provocans, idem illud, quod ante mortem,  
 fuisse probavit (*Haer.* V, 12, 13). HILARIUS *Pictavien-*

(1) *Letter- en Oudheidkundige Verlustingen*, IV, 233 sqq.

sis corpus CHRISTI dixit gloria divina exornatum; confirmant autem omnes revera nihilominus *corpore* CHRISTUM indutum fuisse, illudque τὴν οὐκείην habuisse περιγραφὴν (cum THEODORETO), imo, quoad substantiam, idem fuisse, quod antea, licet variis locis illud dicant ἀθάνατον, ἄφθαρτον, ἀδιάφθορον, αἰώνιον, *immortale, impassibile, incorruptibile* antiquae Ecclesiae Patres. Ita etiam AUGUSTINUS et LEO *Magnus* utramque sententiam conjungere student, idem fuisse corpus, sed glorificatum, statuantes, quod ille »nulla ulterius morte ab anima »resolvendum atque separandum” dixit, hic contra satis ambigue ita expressit (*serm.* 69, *de Resurr.*): »resur- »rectio Domini non finis carnis, sed commutatio fuit, »nec virtutis augmento consumpta substantia est. Qua- »litas transiit, non natura defecit, et factum est corpus »impassibile — immortale — incorruptibile — nihil »remansit in carne CHRISTI infirmum, ut et ipsa sit per »essentiam et non ipsa sit per gloriam.” Quos GREGORIUS *M.* aliique secuti sunt. Sed eorum verba saepe ambiguae sunt significationis, neque semper, quid proprie velint, dilucide exponunt, quod ex ipsius rei, aptis verbis non facile explicandae, indole repetendum esse videtur. Ipse GREGORIUS *M.* hoc profitetur (*Hom.* 26, in *Ev.*): »Palpandam carnem Dominus praebuit, quam »clausis januis introduxit. Qua in re duo mira et juxta »humanam rationem valde sibi contraria ostendit, dum »post resurrectionem suam corpus suum et incorrupti- »bile et tamen palpabile demonstravit.” Quid? quod THEODORETUS negat, corpus CHRISTI in πνεῦμα conver-

sum esse, et corporis naturam (*φύσιν*) non mutatam esse εἰς ἑτέραν οὐσίαν, ut, quid tandem velit, nescias, quum aliis locis de mutata corporis substantia dubitasse videatur. Iis annumerentur ANSELMUS *Cantuar.* et Scholastici quam plurimi. Antiquiores Theologi Lutherani corpus CHRISTI redivivi dixerunt *gloriosum, idem numero ac substantia, sed novis qualitatibus vestitum, scil., impalpabilitate, invisibilitate et illocalitate*, eique immortalitatem tribuerunt, tamquam σώματι τῆς δόξης. Ita quoque HAHNIUS, KRABBIUS (infra laudandus) aliique Theologi<sup>f</sup> de corpore glorificato (*verklärter Leib*) locuti sunt, etsi suam sententiam minime dilucide exposuerunt.

Tandem alii statuerunt, eodem corpore CHRISTUM fuisse indutum post resurrectionem, atque omnibus numeris simili illi, quo ante mortem usus fuerit, corpori, vulneribus crucis et supplicii sanatis. Hoc statuisse videntur EPHRAEM *Syrus*, GREGORIUS *Nyssenus*, EPIPHANIUS aliique, quorum hic ὅλον τὸ σῶμα αὐτοῦ σὺν τῇ ἐνανθρωπήσει in vitam rediisse docuit, a quo ἀναστάς ἐν αὐτῇ τῇ ἀγία σαρκὶ καὶ ψυχῇ τῇ ἀγία καὶ νῶ καὶ παντὶ τῶ σκεύει καὶ ἐν τῇ θεότητι ἠνωμένος τέλειος γέγονεν ἄνθρωπος (*Haer.* 29.) CHRISTUS dictus est, licet et aliter alibi. Praesertim CYRILLUS *Alex.* ἐν σώματι παχεῖ, neque γύμνον σάρκος fuisse CHRISTUM statuit, et πνευματικόν, τουτ' ἔστι λεπτομερὲς τε καὶ ἀερώδες καὶ ἕτερόν τι παρὰ τὴν σάρκα fuisse corpus Ejus negat (ad *Joh.* XX), ad vulnera provocans, quae ostendit. Sic HIERONYMUS, alii. Cum iis recentiori tempore fecerunt

CALVINUS, quique ab ejus partibus steterunt. Idem confirmat SUICERUS, »verum CHRISTUM corpus retinuisse, »proprietatibus essentialibus vestitum, sed glorificatum, »et ab omnibus infirmitatibus liberum,» statuens, et plures praecedente saeculo, e. c. HERDERUS, qui »*da-her es wundersam,*» inquit, »*und fast unbegreiflich ist, wie die spätere Zeit diese körperliche leibhafte Person, die sich handgreiflich als denselben Jesus von Nazaret zeigte, zu einem geistigen Phantasma habe machen wollen und machen dürfen* (1),» quam de CHRISTI corpore sentiendi rationem »*eine niedrige Vorstellungsart*» alibi dicit; REINHARDUS, et etiamnunc WEGSCHEIDERUS, qui de corpore glorificato CHRISTI in vitam revocati nihil docere S. S. statuit; CL. PAULUS et Rationalistae omnes, praesertim qui vere mortuum fuisse JESUM negarunt; LÜCKIUS (2), HASIUS (3), Doct. v. TEUTEM (4), et dubitanter Cl. PALMIUS (5), quibus addantur M. WEBERUS (6) aliique. At de his jam sufficiat (7).

---

(1) L. I. III, 8. VI, 10.

(2) *Comm. in Joh. T. II*, 683.

(3) *Leben Jesu*, § 124, ed. 3.

(4) *Onderzoek of JESUS, na zijne opstanding uit de dooden, nog dezelfde was, als bij zijne vroegere omwandeling*, in *Diario Waarheid in Liefde*, 1838, III, 476 sqq.

(5) *Bijbel voor de Jeugd*, ed. 1, T. XXII, p. 258.

(6) *Doctrina Biblica de natura corporis CHRISTI*, 1825, p. 15 sqq.

(7) De hac quaestione quid statuerint Theologi, hic illie monuerunt C. L. MÜLLER, in *Disq. de resurr. J. c.* — supra laudata.



B. Sacri scriptores, quos in tanta opinionum diversitate sequi tutissimum est, humanum JESU corpus tribuisse mihi videntur, idem illud, quo antea indutus et mortuus est, quaeque de Ejus vita nobis tradunt, postquam resurrexerat, huic sententiae omnino favent.

Dominum enim videns MARIA *Magdalena* ἐκράτησε αὐτοῦ τοὺς πόδας: ex Joh. XX: 17 tamen sequi videtur, JESUM, quominus revera id fecerit, eam prohibuisse. Etsi de vero horum verborum sensu non agamus, animadvertere tamen liceat, alios ex illis effecisse, eo tempore nondum plane sanata fuisse vehementissimi JESU supplicii vulnera (sunt autem hi, qui revera mortuum Eum fuisse negant, ut cl. PAULUS), alios ita probasse, novum, quo denuo in vitam reversus uteretur corpus, sensim paulatimque glorificari, nec hominum tactu impediri debuisse (ut OLSHAUSENUS, SCHLEIERMACHERUM fere secutus). Quibus vero sententiam suam fulciant, non facile afferent argumenta, quum revera redivivus JESUS, minime vulneribus debilitatus, appareat, nec caeteroquin illo die, quo in vitam rediit, discipulos invitasset, ad corpus suum manibus contrectandum (Luc. XXIV: 39). Quod ad priorem attinet sententiam, statuunt illi, quod probandum est. Et quaenam corporis glorificatio illa, quae manuum tactu impeditur! Certe MARIA *Magd.* corpore indutum humano JESUM vidit;

---

HAGENBACH, *Dogmengesch.* I, 321. HASE, *Hutt. Red.*, p. 263. WEGSCHEIDER, *Inst. Theol.*, ed. 7, p. 471, in primis SUICERUS, in *Thesaur. Eccl.*, in vocc. ἀνάστασις et θίγα.

nam continuo, JESU voce audita, Eum agnovit; causa vero, cur verbis *μη μου ἄπτου* usus sit JESUS, minime in *corporis ejus natura* est quaerenda, quod absurde WEISSIUS<sup>(1)</sup> statuit, scribens: »*dass nähmlich die Berührung*  
»*darum untersagt wird, weil der Körper noch ein*  
»*untastbarer sei.*» Huc quoque pertinet, quod CLEOPAE ejusque socio conspiciendum se prae-buit *ἐν ἑτέρῃ μορφῇ* (Marc. XVI: 12), quod cave de proprie immutato corpore interpreteris: nam haec verba illustrat ipse LUCAS, qui, *οἱ δὲ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν ἐκρατοῦντο τοῦ μὴ ἐπιγνώσαι αὐτόν* (XXIV: 16) de illis tradens, monet, causam apud ipsos quaerendam esse, quod non statim Dominum agno-verint. Ita quoque antea MARIA *Magd.* non continuo vidit, illum qui loqueretur JESUM esse, quandoquidem tum demum ad Eum se convertit, quam eam nomine compellaret JESUS: tum enim *στραφεῖσα ἐκείνη λέγει αὐτῷ κτλ.* (Joh. XX: 16). *Μορφὴ* igitur *habitus externum* denotat, qui immutatus quodammodo iis videbatur, postquam inimicorum injuriis eum traditum vide-rant, cui accedit, quod tribus diebus antea mortuum et sepultum ipsos alloquentem non exspectaverint. Non ipsius JESU forma, corpusque immutatum effecit, ut Eum non agnoscerent, sed quam minime exspectarent Eum duo illi amici, Ejus praesentiam non statim suspicati sunt; *κλάσας* vero panem *ἐπέδιδου αὐτοῖς*, et *αὐτῶν δὲ διηνοίχθησαν οἱ ὀφθαλμοί, καὶ ἐπέγνωσαν αὐτόν*. Utrum igitur interea mutatus JESUS, an animus discipulorum?

(<sup>1</sup>) L. I. II, p. 395.

Scilicet verum jam opinati *ipsorum* oculi, qui antea JESUM non agnoverant, Dominum in vitam revocatum viderunt, neque causa adest, ob quam cum MÜLLERO <sup>(1)</sup> statuas: »neque inter Apostolos forsitan vel eorum discipulos defuerunt, qui putarent, CHRISTUM non semper »in pristino suo corpore apparuisse, sed interdum aliam »corporis speciem suscepisse, — vid. Marc. XVI: 12.» Cum JESU accumbentes jam eandem gravitatem, eandem auctoritatem, quam antea, animadverterunt, quid? quod vulnerum cicatrices vim hinc habuisse existimandae sunt <sup>(2)</sup>, atque falso omnino MARCI et LUCAE verba supra allata interpretatus est STRAUSSIIUS <sup>(3)</sup>, statuens, LUCAM illud μή ἐπιγνώσκει αὐτὸν tribuisse, »einem durch höhere »Einwirkung in ihn hervorgebrachten subjectiven »Hinderniss,» MARCUM vero, »einer objectiven Veränderung seiner Gestalt.» Caeterum in verbis ἄφ' αὐτοῦ ἐγένετο miraculum fere invenerunt nonnulli, adeo

(1) L. l. p. 24.

(2) Lubenter assentimus Doct. V. TEUTEM, l. l. 476, nota: »Als »Markus zegt, XVI: 12, ἐν ἐρίστῃ μορφῇ, dan mag dit niet betee- »kenen in een ander gewaad, gelijk GROTIUS het opvat; maar er is zeker »nog minder reden om het met FRITZSCHE voor eene interpolatie te »houden. — Vs. 12 staat op zich zelf, en niet in tegenstelling van »vs. 9. Even als wij in het dagelijksche leven zeggen: »hij is een »geheel ander mensch,» zoo zegt Markus, in eene andere gedaante, »niet om eene verandering der substantie van JESUS ligchaam, maar »van JESUS voorkomen en JESUS zijn naar het uitwendige daar- »mede te kennen te geven.»

(3) I. l. II, p. 660.

ut scripserit OLSHAUSENUS (1): »Die einzige richtige  
 » Auffassung ist, dass seine ganze Erscheinung, sein  
 » Kommen, sein sich zu erkennen geben, sein Gehen  
 » etwas Geheimnissvolles hatte. Obgleich derselbe,  
 » war doch sein Seyn und Wesen erhöht, geweihter  
 » wie sonst. Seine Erscheinungen, obgleich körper-  
 » lich, waren doch denen himmlischer Wesen äh-  
 » lich.» At vero ita minime idem fuit JESUS; nam qui  
 nunc ἐν δοκῆσει, phantasmatis instar, inter homines ver-  
 sabatur, antea revera ἄνθρωπος fuerat.

Qui corpus JESU tribuunt aethereum vel glorificatum,  
 nonne majori jure provocant ad Joh. XX: 19: τῶν  
 θυρῶν κεκλεισμένων — ἔστη εἰς τὸ μέσον redivivus So-  
 spitator? Nonne *modus* hic significatur, quo JESUS disci-  
 pulis adstiterit, transiens scilicet per clausas januas?  
 Quod jam Patres monuerunt, quod EUTHYMIUS confirmat,  
 ὡς θεός καὶ ὡς λεπτοῦ ἤδη καὶ κούφου καὶ ἀκηράτου  
 γενομένου τοῦ σώματος αὐτοῦ JESUSne intravit? Illi sine  
 dubio legerunt διὰ τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, quum  
 hujus praepositionis absentia longe aliud quid innuat:  
 illi sine dubio non attenderunt ad verba διὰ τὸν φόβον  
 τῶν Ἰουδαίων, quae causam mihi significare videntur,  
 cur clausae fuerint januae (2). » Facessant istae pueriles  
 » argutiae!» CALVINUS aequalibus suis jam dixerat, et licet

(1) Comm. II, 569.

(2) Cf. quae de hoc loco monent STRAUSSIUS, I. I. II, 667 sqq. et LÜCKIUS, Comm. in Johann. T. II, 683 sqq. De verbis illis, miraculum in  
 iis inveniens, scripsit *Exercitium Theologicum* c. GÜNTHER, Lips. 1693.

recentiori tempore hanc interpretationem rejecerit OLSHAUSENUS, et THOLUCKIUS minoris eam fecerit, uterque tamen huic narrationi miri quid inesse statuit. JOHANNES autem de *homine*, vere videndum se praebente, cogitavit; ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς, inquit, καὶ ἔστη εἰς τὸ μέσον, et s. 26, ἔρχεται ὁ Ἰησοῦς τῶν θυρῶν κεκλεισμένων etc. Venit igitur, ut omnes venire solent, certo non ab iis expectatus, verum non mira quadam ratione, et cum mox ἔδειξεν αὐτοῖς τὰς χεῖρας καὶ τὴν πλευρὰν αὐτοῦ, quam ob causam hoc fecisse JESUS existimandas est? Quare, tradente LUCA, ἴδετε, dixit, τὰς χεῖράς μου καὶ τοὺς πόδας μου· ὅτι αὐτὸς ἐγὼ εἰμι· ψηλαφήσατέ με καὶ ἴδετε· ὅτι πνεῦμα σὰρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει, καθὼς ἐμεθεωρεῖτε ἔχοντα (XXIV, 39)? Num igitur, qui χεῖρας et πλευρὰν habet, clausas transire januas solet? Quocirca recte CALVINUS dixit, CHRISTUM non intrasse per januas clausas, verum cum clausae essent januae, quod SUICERO ita explicandum esse videtur: »cum fores clausae fuissent, »sed quae, Domino veniente, subito patuerunt ad naturam divinae majestatis ejus;» sed hoc corporis ejus naturam non spectat. Patet praeterea ex narratione Lucana, a discipulis Eum accepisse ἰχθύος ὀπτοῦ μέρος, καὶ ἀπὸ μελισσίου κηρίου, quae λαβῶν, ἐνώπιον αὐτῶν ἔφαγεν. Edit autem JESUS, non tantum eo consilio, ut non amplius discipuli ἔμφοβοι γενόμενοι putarent πνεῦμα θεωρεῖν, sed ut probaret, omnino se *hominem* esse, qualis ante mortem cum iis versatus erat. Opponit quidem hisce OLSHAUSENUS<sup>(1)</sup>:

(<sup>1</sup>) l. l. II, 572.

»Wenn daher der Erlöser — vor ihnen isst, so kann  
 »daraus durchaus nicht, wie schon erinnert ward,  
 »gegen den verklärten Leib Christi argumentirt  
 »werden, denn dieser ist ja ein wahrhafter Leib.  
 »Nur darf man das Essen nicht aus einem realem  
 »Bedürfniss ableiten, das freilich mit dem ver-  
 »klärten Körper sich nicht vertragen würde, son-  
 »dern es ist bloss als Beweismittel der Realität  
 »seines Leibes anzusehen.“ At quæreret tamen liceat,  
 quo tandem consilio JESUS ederit, quid tum edendo  
 probaverit? Corpore se indutum esse *glorificato* procul  
 dubio, qui neque πνεῦμα esset, nec corpore uteretur  
 humano; sed intellectu difficilior mihi videtur modus,  
 quo de corpore CHRISTI locutus est OLSHAUSENUS, quam  
 aut JESU agendi hac in re ratio, aut a LUCA JOHANNEQUE  
 relata. Quid denique sibi velit illud: »denn dieser  
 (corpus glorificatum) »ist ja ein wahrhafter Leib,“ non  
 recte intelligo. Nam *verum* corpus vulgo *humanum*  
 dicimus, cibo indigens, loci temporisque legibus obtem-  
 perans. Humanum igitur corpus an minus recte *verum*  
 corpus est dicendum? De JESU ad mare Tiberiadis agendi  
 ratione idem valet, ubi eo consilio, cibum Eum cepisse,  
 putamus, ut probaret, se *hominem* esse et *humano* cor-  
 pore indutum, prouti ante crucis mortem tali fuerat  
 usus. Caeteroquin discipulos fefellisse (quod absit pro-  
 fecto a Sanctissimo!) JESUS fere censendus esset.

Ex ipsis verbis, quibus Evangelistæ utuntur, ἐφάνη,  
 ἐφανέρωθη, ὤφθη, ἐφανέρωσεν ἑαυτόν, quomodo ali-  
 quid efficiant, ut lucem huic quaestioni afferant, non

video. Quibusnam enim verbis uti debuissent, ut significarent, JESUM *visum esse* ab aliis, aut *videndum se praeuisse* discipulis *corpore humano indutum*? Quidni illa verba optime in suos usus convertere potuerunt Evangelistae? His quoque verbis STRAUSSIUS <sup>(1)</sup> nimis tribuit, statuens: »*Hier nun können schon die Ausdrücke, durch welche die Erscheinungen Jesu eingeführt zu werden pflegen, namentlich ὡφθῆ — u. s. w. — auf etwas Uebermenschliches hinzuweisen scheinen,*» qua in re multos sibi assentientes habet. At vero, licet alibi verba illa de Angelophaniis quoque adhibeantur, tamen rem sub sensus cadentem optime significant, neque iis quidquam inest, quod, si in se illa verba spectamus, notionem contineat extraordinarii aut insoliti. Quocirca MÜLLERI <sup>(2)</sup> verba nobis vindicare liceat: »*Si vero Apostoli,*» ait ille, »*corpus illud, quod tam diligenter ab iis examinatum fuisse videmus, tale habuissent (sc. glorificatum), mirum sane esset, quod Evangelistae ne uno quidem verbo indicassent, se aliquid miri vel insoliti in eo loquente, comedente, membra corporis movente deprehendisse, aut id, quod manibus ipsorum contrectaretur, quicquam a vulgari carne diversum fuisse.*» Quod si vero verbis vim aliquam tribuere velimus, omnino, quae leguntur Matth. XXVIII: 9, ὁ Ἰησοῦς ἀπήντησεν αὐταῖς, aut Luc. XXIV: 15, ἐγγίσας συνέπορεύετο αὐτοῖς, omnem speciem extraordi-

---

(1) L. I. II, 666.

(2) L. I. p. 8.

narii et insoliti removent, atque igitur male idem MÜLLERUS (1), postquam probare conatus est, Apostolos CHRISTO redivivo tribuisse corpus, a pristino diversum, ita inferius pergit: »praecipue tamen illa ratione mystica »atque miram prae se speciem ferente, qua CHRISTUS »saepius suos improvise supervenisse atque subito reli- »quise videtur, eo perduci potuerunt, ut CHRISTUM »Angelorum instar superne descendisse putarent,» quod, quomodo ex S. Scriptorum verbis effecerit, non intelligo.

Data opera in primis KRABBIUS (2) et KÜHNIIUS (3) probare conati sunt, JESUM in vitam revocatum, alio corpore, praestantiore illo, quam quo ante mortem usus fuerit, indutum fuisse. Provocat ille ad loca Rom. VI: 9, Phil. III: 21, unde *σῶμα πνευματικόν* CHRISTO esse tribuendum jure statuisse sibi visus est, praesertim eam ob causam, quod sibi faventes habere putat Evangelistarum narrationes de JESU in vitam reverso, cum discipulis versante. Hae quatenus illi faveant, jam vidimus. De locis vero, ex PAULI epistolis allatis, infra videbimus, quippe quae ad dogmaticam magis JESU resurrectionis significationem exponendam valeant. Quod ad KÜHNIIUM attinet: »*es bleibt uns mithin,*» inquit, »*wenn wir evangelische Christen sein wollen, nichts anderes übrig, als uns zu der anderen Annahme zu bequemen, dass er (JESUS) schon bei diesem Vorgange* (reditum in vitam dicit)

(1) L. I. p. 21.

(2) O. KRABBE, *Die Lehre von der Sünde* etc., p. 299 sqq.

(3) F. KÜHN, *Wie ging Christus durch des Grabes Thür?* 1833.



»einen solchen unvergänglichen Leib erhielt,“ quod deinde ita describit: »und so kann also auch Christi Leib bei seiner Auferstehung — kein Elementarischer geblieben, sondern muss in eine Art von ätherischem umgewandelt seyn, d. h. in einen solchen, dessen Natur von der Beschaffenheit ist, dass er ein Mittelding von Geist und Körper bildet, und dessen Substanz man daher weder zu den materiellen noch zu den immateriellen Dingen rechnen kann<sup>(1)</sup>.“ Ne sacram Scripturam sibi repugnantem habeat, omnino vereor, nec multis haec refutare nostrum est, quum praeterea ipse concedat: »wie es einen solchen verklärten Leib geben kann — bleibt uns für jetzt allerdings unbegreiflich.“ At sex potissimum argumentis sententiam suam probare conatur, quorum alterum e. g. e lucis analogia petiit, cui »proprietates corporeas et spirituales“ tribuit<sup>(2)</sup>, et corpus JESU non dissimile fuisse statuit. Ino, ut ne dubii haereamus, totidem verbis dicit: »und steht es also fest, dass Christus in einem unvergänglichen Leibe auferstand, so kann er auch in demselben keine leiblichen Bedürfnisse mehr empfunden haben, sondern müssen ihm Ruhe und Schlaf, Speise und Trank, Athemholen und Bewegung u. s. w. entbehrliche Dinge geworden sein<sup>(3)</sup>.“ Quatenus Docetis annumerandus sit KÜHNIIUS, equidem de-

(<sup>1</sup>) L. I. p. 34.

(<sup>2</sup>) L. I. p. 36.

(<sup>3</sup>) L. I. p. 19.

cernere non ausim, sed vel superioribus refutata, vel jam mittenda haec esse existimamus. Quantum hoc nobis licuit, e S. S. verbis effecimus, corpore indutum humano, eodem quo antea, cum discipulis suis JESUM versatum esse. Quo magis autem de horum testium fide constet, breviter de illis videamus, quibus JESUS in vitam revocatus conspiciendum se praebuit.

II. Habemus, quod laetemur, eos, *quibus conspiciendum se JESUS praebuit*, non tantum hoc non exspectasse, sed etiam non facile hac de re sibi persuasisse, quos et veri amantes, verum tradidisse, et de re sub sensu cadente optime judicare potuisse, novimus. Apparuit undecim discipulis in vitam revocatus plus semel, imo quingentis fratribus. Hos JESUS testes habet suae e mortuis resuscitationis; his plura hominum millia e Judaeis et Ethnicis deinceps fidem non negarunt; hos innumera multitudo Christianorum per XVIII saecula testes veneratur ἀξιολόγους JESU resurrectionis. His igitur fidem quoque habeat STRAUSSIUS; nam, in vitam rediisse JESUM, testes, a partium studio alieni, certa nec diversa ratione memoriae tradiderunt, quod ipse postulat: »*Verbürgt wäre uns die Auferstehung Jesu, wenn sie von unparteiischen Zeugen auf bestimmte und zusammenstimmende Weise beurkundet wäre* (1).» Antea probavimus, hoc ipsum valere de Evangelistis et Apostolis, hoc vero negare STRAUSSIUM, testes hosce dicentem a partium studio minime alienos: »*Nur seinen Anhän-*

---

(1) L. I. II, 682 sq.

»gern habe sich Jesus gezeigt: warum nicht auch »seinen Feinden,“ ut et hi testimonio suo efficerent, ne JESU discipuli fraudis accusari potuissent? Idem jam CELSUS (1) aliique religionis Christianae adversarii, idem, odiosis verbis usus, Fragmentista *Guelp herb.* (2). Certe minime conspiciendum se inimicis praebuit, vel populo Judaeo, redivivus Sospitator (3); at quaerimus, utrum

---

(1) ORIG. c. *Cels.* II, 63 sqq.

(2) DOEDERLEINII *Fragm. u. Antifr.* I, p. 134. »Die Wahrheit »darf sich ja nicht verstecken, oder verkriechen; und zwar eine »solche Wahrheit, welche unter uns“ (Judaeus loquitur) »bekannt »und geglaubt werden sollte. — Oder sollten wir ihn nur in seiner »armseligen Gestalt, und zuletzt am Kreuze hangen und sterben »sehen, um uns an ihm zu ärgern? auferweckt aber, lebendig, »und in seiner Herrlichkeit nimmer zu sehen bekommen?“ u. s. w. cf. p. 196, »— in den Erscheinungen Jesu — ist dieses merklich, »dass sie insgesamt allen übrigen ehrlichen (!) Leuten unsichtbar, »allein aber den Jüngern Jesu sichtbar gewesen seyn sollen—“.

(3) Miraculo sane CHRISTO opus fuisset, si, quominus aliquis e Judaeis ipsum videret, impedire voluisset, licet cavisse, ne ab iis publice conspiceretur, censendus sit. Ostendit Ven. J. L. NIJHOFF: *Iets omtrent de bedenking: Waarom is Jesus na zijne opstanding ook niet aan zijne vijanden verschenen?* in *Diario, Godgel. Bijdr.* XIII (1839), p. 176 sqq., populum Judaeum, quique JESU erant inimici, optime Eum conspiciere potuisse, et, si Eum non viderint post reditum in vitam, causam quaerendam esse apud Judaeos, non vero apud JESUM. Provocat ad Matth. XXVIII: 7, coll. 10; 1 Cor. XV: 6, monens, vel mulieres, vel D illos ἀδελφοὺς, famam de JESU in vitam reditu procul dubio inter alios, qui non e numero erant discipulorum, pervulgasse, atque inimicos, qui de conventu isto audiis-

Judaei igitur testes fuissent a partium studio alieni, utrum iis, qui, *ψευδομάρτυρας* et milites corruperunt, utrum populo, qui *Σταυρωθήτω!* clamavit, major fides habenda sit, ubi aequum quaerimus testimonium? Sed minime de Apostolorum *ἀξιοπιστία* detrahit, quod inimicis JESUS se conspiciendum non praebuit, nam spectat potius haec quaestio ipsum Sospitatorem, quam Ejus discipulos. Horum quam plurimi Eum conspexerunt, fidemque iis habuerunt multi; neque tamen umquam, etiamsi populo Judaeo quoque apparuisset JESUS in vitam revocatus, STRAUSSIIUS, et qui cum eo facientes JESU in vitam reditum negant, nobis assentient, negantes scilicet, »mortuum in vitam redire posse.” At fortasse cogitat ille de morte synoptica (1), quam caeteroquin sententiam acerbè carpit; quid? quod ipse concedat necesse est, discipulos, quia JESU resurrectionem non expectaverint, testes idoneos, a partium studio alienos, habendos esse.

Non est quod hîc de causis agamus, cur Judaeis JESUS

---

sent, novitatis studio ductos, JESUM conspiciere potuisse. Refutandum Virum Ven. sibi sumsit anonymus K. *ibid.* p. 490 sqq., provocans ad Joh. XX: 29 et Act. Ap. X: 40, 41. — Concedimus, JESUM in vitam revocatum publice nunquam apparuisse aut inimicis aut Judaeorum cuidam conventui, eo consilio, ut iis de resurrectionis suae veritate persuaderet. — Judaeos autem Sospitatorem vidisse post reditum in vitam, LESSIO, ROSENMULLERO, FLESSINGIO aliisque jam verosimile visum est. Exstat etiam Progr. FEUERLINI, *de Jesu resuscitato, ab hostibus etiam viso, a solis familiaribus recognito*, Gott. 1750.

(1) Cf. I. I. II, 632.

se conspiciendum praeberere noluerit, nisi eatenus, quatenus ad supra memoratam objectionem refutandam valeat disputatio nostra. Statuunt illi, Judaeos, conspecto JESU, credituros fuisse, quos testes igitur haberemus Ejus resurrectionis. At minime illud concedimus. Per tres enim fere annos publice inter eos versatus est, miraculis, beneficiis, doctrina, persona sua omnes ad se invitans; at noluerunt isti. Publicam vitam exceperat mors. Crucis supplicium subiit, quo palam significarunt Judaei, Messiam se rejicere, quem proavi exspectaverant. »Cur »non” (ut quaerentem audimus CALVINUM <sup>(1)</sup>) »in medio templo et foro illustria victoriae suae tropaea »CHRISTUS statuit? Cur non formidabilis prodit in »conspectu PILATI? Cur non etiam redivivum se sacerdotibus et toti Hierosolymae probat?” Quia reditus in vitam novae vitae erat initium, qua non amplius improborum injuriis obnoxium aut inimicorum conviciis laedi, nec denuo captivum abduci crucique affingi Eum oportuit. »*Er war aus der Zahl der Lebendigen weggestrichen*” (ut recte HERDERUS <sup>(2)</sup>) »und »bürgerlich ein Ehrloser, Verfluchter, Verabscheueter worden. Hier hatte er also nichts mehr zu »schaffen. — Für diese Welt hatte er vollendet.” Statum exanationis exceperat status exaltationis, ut antiquiores loqui solebant. Consilium jam exsecuto, per aliquot dies adhuc fides Ei erat confirmanda testium

---

(1) *Inst. Rel. Chr.* III, 25, 3.

(2) *L. I.* III, § 5.

ἀναστάσεως suae, quos sibi elegerat, ut deinde in coelum rediret. Quam difficile JESU fuisset, denuo in publicum prodeunti, omnibus satisfacere! Alii manibus Eum palpare, cum eo edere alii voluissent, quum Judaeorum proceres, Δαιμόνιον ἔχει! clamantes, Judaeos ipsos σημεῖον petentes, audiisses, vel potius πνεῦμα θεωρεῖν opinati fuissent et aequè minus atque antea fidem JESU habuissent. Quid? quod mortuum in vitam redire non posse statuunt illi, qui jam de JESU, inimicis se conspiciendum non praebente, conqueruntur!

Quid vero diutius moramur? Nullam proprie haec quaestio movet difficultatem; nam sive rem spectes a parte JESU, sive a parte Judaeorum, in factis tuto quiescamus. Insuper animadvertendum est, quod egregie J. G. MÜLLERUS <sup>(1)</sup>: »Ebensogut kann man fragen,“ inquit: »Warum hatte er sich ihnen zeigen sollen? Solche Fragen kann mann tausende thun: — Für sein Volk hatte Jesus genug gelebt, und er rufte nicht vergebens (auch in dem Sinn): »es ist vollendet!“ — Sein neues Leben, der Anfang seines herrlichen Lohnes, sollte den stillen Freuden mit seinen Freunden, ihrer Belehrung und Bildung, durch die sie die Pflanzschule des Reiches Gottes werden sollten, gewidmet seyn.“

Quae cum ita sint, eandem fidem habemus Apostolis, qui redivivum eum conspexerunt, acsi inimicis quoque apparuisset JESUS. Edentem Eum viderunt illi, ipse THOMAS non amplius dubitavit, THOMAS ille, »der seinen Glau-

---

(1) Vom Glauben der Christen, II, 4, 27, Anm.

»ben in der Hand haben wollte,“ ut HERDERUS dixit; qui de resuscitationis veritate sibi persuasit, atque ita idoneos testes habemus illos, qui de se testari potuerunt, quod PETRUS affirmavit: τοῦτον ὁ Θεὸς ἤγειρε τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἔδωκεν αὐτὸν ἐμφανῆ γενέσθαι· οὐ παντὶ τῷ λαῷ, ἀλλὰ μάρτυσι τοῖς προκειροτόνημένοις ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, ἡμῖν, οἵτινες συνεφάγομεν καὶ συνεπίομεν αὐτῷ μετὰ τὸ ἀναστῆναι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν (Act. X: 40, 41).

III. His vero disputatis, restat, ut paucis denique *de ipsarum apparitionum indole* videamus, ut de ratione constet, qua cum amicis JESUS versatus sit post reditum in vitam.

Ex antecedentibus jam satis superque patuit, JESU redivivi apparitiones a nonnullis minus recte dici *visiones*; quo significant, discipulos JESUM mente vidisse et cogitatione, non vero corpore indutum, at singulari ratione, Ejus reminiscentes et phantasiâ se cum Eo versari sibi persuadentes. Sic quam plurimi de JESU apparitionibus cogitarunt, qui Ejus reditum in vitam negarent, neque tamen cum Deistis, Fragmentista *Guelpherb.* aliisque fraudi omnia tribuerent. Sic STRAUSSIUS statuit, Evangelistarum narrationes de JESU, a discipulis conspecto, minime nobis praebere »eine klare historische Anschauung der Sache,“ verum fragmenta tradere et »seriem potius *visionum*, quam historiam ordine »precedentem (1).“ Denuo provocat ad repugnantias, de quibus jam egimus, et ad PAULI Apostoli conversionem, quam dicendam esse negat: »eine äussere objective

---

(1) L. I. II, 684.

»*Erscheinung des wirklichen Christus;*» hujus exemplo probari statuens, »*dass starke Eindrücke von der jungen Christengemeinde ein feuriges Gemüth, dass ihr langere Zeit entgegengestrebt hatte, bis zur Christophanie und völligen Sinnesänderung steigern konnten.*» Ita quoque STRAUSSIO visum est, omnia, quae de JESU persona antea vidissent discipuli, eo valuisse: »*seine unmittelbaren Schüler im Kampfe mit den Zweifeln an seiner Messianität, welche sein Tod in ihnen erregt hatte, zu ähnlichen Gesichten zu begeistern.*» Quae mox addit, antecedentibus non recte conveniunt, quum naturalisticae ubique interpretationi vehementer antea se opposuerit; scilicet, ut discipulorum Christophanias rite explicemus, in auxilium vocari sinit naturae *φαινόμενον* q. d., sive fulmen seu tonitru. At haec omnia, de JESU apparitionibus non proprie accipiendis, monita hac nituntur conjectura, ipsos per se eo usque pervenisse JESU discipulos, quod omnino negandum esse, luce clarius supra <sup>(1)</sup> nobis patuit. Quo jure mox ad 1 Cor. XV. provocarit, infra videbimus; at dolendum est, eum non probasse, quae jam sequuntur: »*es ist ganz natürlich — dass die Christophaniën — sich, vermöge des apologetischen Bestrebens, alle Zweifel an der Realität derselben abzuschneiden, immer mehr consolidirten, von stummen Erscheinungen zu redenden,*» (illas autem, quas *mutas* dixit *apparitiones*, ipse STRAUSSIO excogitavit)

---

(1) P. 89 sqq.



»von geisterhaften» (quod conjecturâ, nondum probatâ, nititur) »zu essenden, von sichtbaren zu handgreiflichen wurden (¹).» Quae referre sufficiat, quoniam neque *Traditioni*, nec discipulorum phantasiae tribuenda esse, quae de JESU in vitam revocato, a discipulis conspecto, tradita sunt, probavimus, atque revera, corpore indutum humano, JESUM cum discipulis versatum esse vidimus. Quocirca STRAUSSII ratiocinatio, usque dum psychologicae probaverit, quod historia acriter negat, ipsos scilicet discipulos per se credidisse, in vitam rediisse JESUM, dicenda semper erit *petitio principii*.

Alia ratione Evangelistarum narrationibus vim inferre ausus est WEISSIUS, statuens, discipulos de corpore tantum *glorificato* cogitasse, quod tamen manibus contractari non posset, quum, eo monente, ex inferis ad coelum continuo adscenderit spiritus defuncti, et quoties suis videndum se praebuerit (at alio vocis sensu, quam quo nos ea usi sumus), e coelo Eum descendisse. Unam enim esse e mortuis resurrectionem cum ascensione ad coelestes sedes, statuit, quocirca »jede einzelne Erscheinung des Herrn ein Herabsteigen von der Höhe war, »zu der er, verschwindend, jedesmal sich aufs neue erhob.» Monet, primum in Galilaea amicis suis JESUM in vitam revocatum apparuisse, et narrationes apud LUCAM et JOHANNEM postea esse confictas, ut JESUM, humano corpore indutum, edisse etiam comprobarent. Ita e. c. apparitionem, quae MARIAE *Magd.* contigit, ex-

---

(¹) Cf. I. I. II, 687 sqq.

inde ortam esse censet, »nicht dass Jesus aus dem »Grabe, sondern dass er aus dem Hades auferstand, so dass er also recht eigentlich auf seinem Wege vom Hades zum Himmel der Magdalena begegnet wäre.“ unde explicanda esse statuit tum JESU verba, μή μου ἄπτον, tum Ejus ad discipulos mandatum, »se jam continuo Patrem adire“ (1). O simplex Evangelistarum, ipsiusque JESU verborum interpretatio! Nonne JESUS illa opportunitate dixit, οὐπω γὰρ ἀναβέβηκα πρὸς τὸν πατέρα μου κτλ.? Nonne diserte distinguunt discipuli inter reditum JESU in vitam et in coelum ascensionem? Quare Traditioni fictrici omnia tribuit, quaecunque cum opinionibus Philosophi non congruant?

Non est quod moneamus, WEISSIUM caeteras JESU apparitiones alio modo interpretari debuisse, quam eam, quae MARIAE *Magd.* contigit; quocirca favere eum quodammodo videmus interpretationi Mythicae, a STRAUSSIO parum differentem. Narrationem enim de JESU, a CLEOPA socioque conspecto, depingere statuit rationem, qua sensim sensimque sibi persuaserint discipuli illi »über die »Messiaswürde ihres Meisters und über die Welt- »geschichtliche Bedeutung und Nothwendigkeit seines Todes,“ alteram autem apparitionem, qua ad mare Tiberiadis septem discipulis conspiciendum se prae-buisse JESUS narratur, PETRI et JOHANNIS in primis causâ memoriae traditam esse dicit. Vaticinium, in illa nar-

(1) Cf. l. l. II, 395 sqq.

ratione obvium, proprie non spectat duos illos discipulos, »als vielmehr die in ihrer Person beginnenden und »vorläufig durch sie vertretenen kirchlichen Tendenzen und Richtungen (1).» Hanc *symbolicam* dixit interpretationem, quam vero num hinc admittere liceat, quaerenti negando respondendum est. Fieri potest, ut scriptor doctrinam quamdam aut sententiam, quo clarius eam enunciet, historiae quasi veste induat, quae igitur non ad literam sumenda, verum involucri instar habenda est. Antiquissimo aevō, quae de rebus metaphysicis et de religione cum aliis communicare vellent, neque verbis ita nude exprimere possent, sub imaginibus proponebant, aut historicam indolem iis tribuentes, hanc historiam tamquam *σμβολον*, *indiciū*, *signum* habebant rei cogitatae. Ejusmodi historiae interpretes, ut sensum *symbolicum* agnoscat, ad scriptoris consilium attendens inquirat, utrum sensum quaerere liceat *symbolicum*, quum fortasse meram historiam tradere sibi proposuerit scriptor. Quo melius deinde errorem evitet, quo sensum in narrationem interpretandam infert, diligenter indaget, annon fortasse apud alium scriptorem vestigia ipsi occurrant ejusdem narrationis, ut ita, comparatione instituta, constet de historiae vel sensu proprio vel sensu *symbolico*. Ne de caeteris dicamus rationibus, quibus *ideae* aut *res signis* vel *symbolis* significentur (2), unice hunc, de quo

---

(1) L. I. II, 406.

(2) Sponte quoque patet, minime nostrum esse, regulas praescribere interpretationis *symbolicae*, quum unice, quod ad rem nostram

locuti sumus, spectemus historiae usum symbolicum, quatenus cum in Evangelio Lucano et Johanneo reperisse sibi visus est WEISSIUS. Symbolice LUCAM (XXIV: 13 sqq.) proponere voluisse statuit, CLEOPAM ejusque socium sibi persuasisse de JESU mortis eamque securitatis gloriae necessitate, quam Messiae V. T. vaticinia tribuerant et de Eo praedixerant, uti et de Ejus *praesentia spirituali*. Attamen miramur, LUCAM, scriptorem historicum, qui plura, ad religionem spectantia, propriis verbis usus, jam tradiderat, ad finem libri has CLEOPAE ejusque socii cogitationes hoc modo improprie proposuisse, nec potius simplici ratione eam rem cum lectoribus communicasse. Praeterea hoc ejus consilium minime fuisse, patet ex eo, quod *ipsum JESUM* loquentem informat, coram discipulis S. Scripturam interpretantem; quam difficultatem animadvertens, WEISSIUS Evangelistae verba infringit, iisque e sua copia quaedam addens, tacite concedit, symbolicam hanc interpretationem non sufficere. Ipsum enim si audias: » *Da ward in ihnen,*” inquit, » *sei es durch einen oder den andern aus ihrer Mitte selbst, oder durch einen derjenige Jünger, welche in dieser Einsicht bereits weiter vorgeschritten waren, — der Gedanke angeregt, u. s. w.* (1).” Ita philosophus noster loco Sospitatoris, revera cum discipulis colloquentis, substituit unum alterumve, rem melius edoctum, disci-

---

vindicandam valere possit, breviter attingamus, Horatiani memores:

» *Quid ferre recensent, quid valeant humeri.*”

(1) L. I. II, p. 401.

pulum, quod nec LUCAS illi concesserit, nec WEISSIUS sibi licere facile probaverit. Deinde ss. 22—24 ad factum, quod historia tradidit, respiciunt arcteque cum antecedentibus conjunctae sunt, de quorum veritate historica, uti probavimus, dubitari non potest. Ss. 28—30 superfluae videntur, cum CLEOPAE sociique cogitationes symbolice proponentis nihil interesset, utrum Emmaunte accubuerint aut ederint una cum JESU (ex WEISSII vero sententia, sine dubio cum discipulo illo, rem melius edocto). Accedit, quod MARCUS simplicissima ratione narrat (XVI: 12): *μετὰ δὲ ταῦτα δυσὶν ἐξ αὐτῶν περιπατοῦσιν ἐφαιρώθη ἐν ἐτέρᾳ μορφῇ πορευομένοις εἰς ἀγρόν.* Hic historia ita traditur, ut WEISSII interpretationem omnifundamento carere luce clarius appareat. Etenim s. 13: *ἀκριβοὶ ἀπελθόντες* (postquam adeo apud eos de Messiae δόξα et praesentia spirituali constabat) *ἀπήγγειλαν τοῖς λοιποῖς· οὐδὲ ἐκείνοις ἐπίστευσαν.* Inter illos igitur, quos MARCUS *τοὺς λοιπούς* dicit, nullus erat, qui V. T. effata de Messia iis explicaret. Num fortasse inter undecim JESU discipulos fuit? Obstat certe Lucana narratio (XXIV: 33—35), quae docet, duos illos, Emmaunte Hierosolyma reversos, ut laetum nuntium cum discipulis communicarent, hos una congregatos invenisse, atque ita de JESU in vitam reditu sibi persuadentes, ut CLEOPAE ejusque socio dicerent: *»ἠέρεθη ὁ Κύριος ὄντως.»* Sic neque MARCUS nec LUCAS aliud nobis tradere voluerunt, quam historiam JESU cum duobus discipulis Emmaunta euntis, cui continuo hic eam narrationem addit, qua duos hos discipulos redeuntes cum undecim convenisse proponit.

Ubinam vero quaerendus ille discipulus, quem Messiae mortis necessitatem melius perspicientem informavit WEISSIUS? Frustra quaeres, cumque mittendum esse censemus, una cum WEISSII interpretatione symbolica, quae cum ipsius scriptoris consilio non convenit, et aliunde satis refutatur. Valet idem de altera ejus interpretatione, quam commemoravimus, de JESU ad mare Tiberiadis apparitione <sup>(1)</sup>, cui sensum tribuit, qui interpretis quidem ingenium luxurians refert, nequaquam vero animum ad scriptoris mentem attendentem. Eodem jure aliam invenire explicationem alius posset, aequè minus in ipsius scriptoris verbis fundatam; quocirca, ne nimis longa fiat haec disquisitio, paucis tandem videamus, quid statuerit de discipulis, JESUM se conspexisse sibi persuadentibus. Etenim quoties Sospitorem se vidisse existimarunt, eos fuisse statuit in »*Zu- stände einer Aufregung jener Wunderkräfte, welche, der von uns historisch glaubwürdig befundenen Nachricht der Evangelien zufolge, durch Christus selbst den Apostelen mitgetheilt oder in ihnen an-*

---

(1) OLSHAUSENUS, in Comm. ad h. l., symbolica ratione JESUM egisse statuit, atque ita quoque ab auctore hanc apparitionem esse traditam, ut ostenderet, qui sortem ejus futuram PETRO JESUS praedixerit. Hanc sententiam, a WEISSII methodo longe alienam, LÜCKIUS dicit: »*geistreich, meinewege auch praktisch, historisch wahr ist sie auf keinen Fall,*» in primis quia neque CHRISTUS neque auctor narrationis ejusmodi significationem symbolicam innuit. Quanto magis haec de WEISSII commento valeat!

»geregt und zum Bewusstsein gebracht waren,“  
quasque antea Magnetismo q. d. tribuerat. »Man kann  
»sie magnetische Zustände, Zustände des Hellschens  
»nennen,“ u. s. w., quibus ipsa defuncti persona, spi-  
ritus scilicet, iis adfuit, et cum iis versata est <sup>(1)</sup>.  
Minime vero nobis placent »die Geistererscheinun-  
»gen,“ quas WEISSIUS proposuit, quia non videmus,  
quo tandem modo discipuli de corpore defuncti humano  
cogitassent, in vitam revocato ipsisque apparente, si num-  
quam illud viderint; quo modo in undecim placide una  
congregatis viris subito magicam eam vim habuerit de-  
functi spiritus, ut cum eo locuti non tantum sint, verum  
etiam manibus Ejus corporis partes palpaverint, imo  
ut mox edentem Eum viderint. Quid? quod initio  
quidem putarunt ἔμφοβοι γεινόμενοι πνεῦμα θεωρεῖν,  
sed qui iis se conspiciendum praebuit, hoc iis inculca-  
vit: ὅτι πνεῦμα σάρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει, καθὼς ἐμὲ  
θεωρεῖτε ἔχοντα, quae verba non ex ore Sospitatoris,  
verum ex cerebris ipsius Evangelistae originem duxisse  
statuat, at simul probet philosophus. Tum demum  
cum eo faciemus, ubi ostenderit certisque argumentis

---

(1) L. I. II, p. 431—433. Etenim statuit: »dass in der ver-  
»möge seiner Weltgeschichtlichen Stellung dem Heiland vor allen  
»andern Sterblichen verliehenen magnetischen Wundergabe als we-  
»sentliches Moment das Vermögen enthalten war, auch nach seinem  
»Tode noch auf seine Jünger und auf einzelne andere: durch  
»körperliche und geistige Disposition für solche Einwirkung seiner  
»geistigen, lebendig in ihnen fortwirkenden Nähe mitzutheilen.“

probaverit (nam non sufficit ut statuat ponatve tantum), JESU discipulos de industria sibi elegisse symbolicam methodum in ideis vel cogitatis seriori aetati tradendis, et revera tam subtilem eos excoluisse philosophiam, qualem iis tribuit scriptor libri: »*die Evangelische Geschichte, kritisch und philosophisch bearbeitet.*» Quibus probatis, fides CHRISTI resuscitationi habenda, et ab Ecclesia Christiana omni tempore ei vindicanda, cum WEISSIO a nobis dicetur »*der mythische Glaube der spätern christlichen Welt* (1).»

Quae cum ita sint, abunde patet, ut mihi quidem videtur, discipulos defuncti, nisi ipsum post mortem corpore indutum vere vidissent, certo non excogitatuos fuisse hanc de corpore CHRISTI e sepulcro resuscitato fabulam; contra vero saepius eos vidisse Sospitatore, corpore utentem, quod ipsi viderant manibusque palparant, humano. His apparitionibus, rebus sub sensus cadentibus, persuasissimum illis fuit de JESU in vitam reditu, quem, licet amici unice testentur, eo tamen majorem hoc testimonium habet vim, quo certius constat, eos neque expectasse nec fere credidisse ejusmodi rerum eventum. Quo nomine STRAUSSIIUS aut WEISSIIUS redivivi apparitiones insigniant (2), sibi ad-

---

(1) Cf. l. l. II, 427.

(2) Ipse STRAUSSIIUS, l. l. II, 695, quibusnam differat a WEISSIO, sic exponit: »*dass ihm die Erscheinungen des Auferstandenen nicht »blos subjectiv psychologische, sondern objectiv magische That-sachen sind.*»



versantem habent PETRUM, qui (Act. X: 41) profitetur, sibi caeterisque *μάρτυσι τοῖς προεχειροτονημένοις ὑπὸ τοῦ Θεοῦ* apparuisse in vitam resuscitatum, qui *συνεφάγομεν*, inquit, *καὶ συνεπίομεν αὐτῷ μετὰ τὸ ἀναστῆναι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν* (1). Itaque haec cum fuerit JESU apparitionum indoles, ut sensibus observari possent, utque de veritate resuscitationis JESU, corpore humano induti, egregie sibi persuadere et convinci potuisse discipulos constet, nullum dubium exstat, quin hisce testibus fidem habere possimus. Jam vero haec, quae statuimus, egregium praesidium habent in Apostoli PAULI testimonio, qui et ipse confirmat, JESUM redivivum a discipulis visum esse; quod vero testimonium laceratum suaque vi a STRAUSSIO praesertim privatum esse dolemus, at simul tueri et in nostros usus convertere conabimur.

§ 3.

*Omnia, huc usque ex Evangeliiis percepta et disputata, egregie confirmantur PAULI testimonio, 1 Cor. XV: 4—7.*

PAULUS Apostolus, ut rem nostram confirmet, primum audiatur. Dicit se Corinthiis Evangelium annunciasse,

---

(1) Act X: 41, verba *οἵτινες* — *νεκρῶν* minime commate sunt distinguenda, posito illo post vocem *αὐτῷ*, quo fieret, ut parenthesis loco haberentur verba *οἵτινες συνεφάγομεν* — *αὐτῷ*, et respicerent ad tempus ante JESU mortem, causamque indicarent, ob quam postea illi soli Eum viderint et cum Eo versati sint. Ita

JESUM scilicet mortuum esse et sepultum (quo sine dubio significavit, *revera* mortuum fuisse JESUM, Eumque, ut mortui solent, in sepulcro depositum esse) et resuscitatum, quibus ut facilius fidem haberent, se iis tradidisse dicit: *ὅτι ὤφθη Κηφᾶ*, quam apparitionem commemorant discipuli, Luc. XXIV: 34, dicentes, *ὅτι ἠγέρθη ὁ Κύριος ὄντως, καὶ ὤφθη Σίμωνι. Εἶτα τοῖς δώδεκα*, eff. Luc. XXIV: 36, sqq. Joh. XX: 19, sqq.; *ἔπειτα ὤφθη ἐπάνω* <sup>(1)</sup> *πεντακοσίοις ἀδελφοῖς ἐφάπαξ*: pluribus quam quingentis fratribus apparuit. Hanc apparitionem eandem habemus, atque eam, cujus MATTHAEUS (XXVIII: 17, sqq.) mentionem fecit, uti supra monui-

enim arctissime verba haec jungenda essent cum verbis *μάρτυσι τοῖς προκεχειροτονημένοις* et vertenda: *testibus, qui ante electi fueramus, nobis qui cum eo ederamus et biberamus*. Quae interpretatio admitti non potest, nam diversa tempora significantur, omnino secernenda, praeteritum remotius, *προκεχειρ*: (plusq̄fect.), et praeteritum narrantis, *ἔδωκεν* (aor. 1.) *συνεφάγομεν, συνεπίομεν*.

(1) *ἐπάνω* de numero numerum, qui indicatur, superante. Sic Marc. XIV: 5. — Male igitur anonymus in *Bibl. f. Kritik. u. Exeg.* v. SCHMIDT, II, 533 (*Versuch üb. d. Auferstehung Jesu*), qui de hoc loco: »*Jesus*,» inquit, »*erschien über fünfhundert Brudern. Also in der Höhe, schwebend in den Wolken, scheinen sie das Bild erblickt zu haben.*» Sic *ἐπάνω* de loco interpretatus est, quasi in aëre se vidisse defunctum putassent illi. In aëre quoque PETRO, undecim discipulis caeterisque apparuisse JESUM eodem jure statuere potuisset, atque ita redivivi apparitiones tandem *μετέωρα* habentur! WEISSIUS de festo Pentecostes cogitat, eandem hanc apparitionem fuisse statuens: »*als die Ausgiessung des Geistes am Pfingstfeste*» (l. I. II, 417)!

mus; quominus vero cogitemus cum HEUMANNO (adh. l.) de iis, qui in coelum adscendentem JESUM viderunt (Luc. XXIV: 50 sq. Act. Ap. I: 6 sq.), vetat tum discrepantia numeri eorum, qui aderant, tum, et maxime quidem hoc, quod certo omnium postremam apparitionem non commemoraverit, priusquam et caeterarum mentionem fecisset, cum temporis rationem omnino habuisse videatur. Ἐπειτα ὤφθη Ἰακώβῳ, de quo tacent Evangelistae, at vero Evangelium secundum Hebraeos nonnulla habet <sup>(1)</sup>. Quae autem ibi narrantur et *traditioni* debemus, et nulla fide digna sunt; nam tales, quales JACOBO tribuit expectationes, numquam ille fovit, et minus recte convenire videntur cum Luc. XXIV: 34, sqq., ubi, SIMONIS mentione facta, JACOBUM quoque commemoraturi fuissent discipuli, si eo tempore JACOBO se jam conspiciendum prae buisset Sospitator. Ἐἶτα τοῖς ἀποστόλοις πᾶσιν, quam apparitionem memorans, cogitavit fortasse de JESU, discipulis valedicente et in coelum adscendente.

Docet igitur PAULUS, in vitam rediisse JESUM et amicis videndum se prae buisse. Utrum temporis rationem habuerit non inquirimus, etiamsi εἶτα hoc certe verisi-

---

(1) Teste HIERONYMO *de viris illustr.* 2: »Dominus autem (cum dedisset sindonem servo sacerdotis) ivit ad JACOBUM et apparuit ei. Juraverat enim JACOBUS se non comesturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem a dormientibus; — deinde, adferte, ait Dominus, mensam et panem; — tulit panem et benedixit, ac fregit, et dedit JACOBO Justo, et dixit ei: frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit filius hominis a dormientibus.»

mile reddit, at de ejus fide nihil detrahitur, si non eodem, quo Evangelistae, ordine JESU apparitiones tradiderit. Jam nemo est, quin hujus testimonii vim atque auctoritatem perspectam habeat. Etenim conscripta est haec Epistola e virorum Doctt. sententia intra annos 52—59 aerae Christianae, tempore, quo quatuor Evangelia, quae nobis tradidit antiqua Ecclesia, certo nondum omnia erant conscripta; deinde non Evangelista hoc testimonium tulit, non ex discipulorum numero aliquis, sed Apostolus, post JESU in coelum abitum ad sacra Christiana conversus, qui ex ipsis procul dubio discipulis haec acceperat, quemque cum iis in doctrinae annunciatione convenisse constat. Hic ut JESU in vitam reditum probaret, provocat ad Ejus apparitiones, at de earum indole nihil in medium profert, quia id minime hujus loci erat, et ad Evangelistarum Apostolorumque Evangelium annunciandi munus pertinebat. Quid vero de earum indole docuerint, ex Evangeliiis, quae doctrinam Apostolicam continere censenda sunt, patet: JESUM scilicet e mortuis resuscitatum, corpore humano indutum cum discipulis his in terris versatum esse, venientem, loquentem, edentem, bibentem, manibus tractandum se praebentem (uti supra haec exposuimus), quod et PAULUS probe cognitum habuit.

Quid autem statuendum est de verbis s. 8, ἔσχατον δὲ πάντων — ὠφθη καὶ μοί? Haec interpretanda esse censemus de iis, quae in itinere Damasceno acciderunt, a LUCA tradita, Act. Ap. IX, et ab ipso PAULO (referente LUCA) ib. XXII: 6 sqq., XXVI: 12 sqq. Quae

in hisce discrepantia (1) insunt, nihil ipsius rei veritati nocent, cum haec ipsa, quam nonnulli tantopere urserunt, pugna in eo tantum versetur, quod, qui cum PAULO iter fecerunt (Act. IX: 7.), vocem quidem audierint, neminem autem viderint; contra (Act. XXII: 9.) lucem quidem viderint, vocem autem non audierint; cujus discriminis, quod et in JESU loquentis verbis animadvertitur, ipse LUCAS causa dici potest, qui a PAULO relatorum res minutiores hinc fortasse minus curaverit. Quod si statuamus, eos fortasse τὴν φωνὴν τοῦ λαλοῦντος audivisse quidem, at verba ipsa non intellexisse, utrumque affirmari posset. Caeterum loquentem de coelo nemo ex iis vidit, qua in re narrationis cardo vertitur. Minime hinc de indole hujus apparitionis nobis agendum est (2), sed hoc monere juvat, toto coelo modum differre, quo PAULO se JESUS patefecit in itinere Damasceno a ratione, qua post resurrectionem cum discipulis his in terris versantem Eum vidimus. Corpore humano indutum Apostolis conspiciendum se praebeuit, quod de apparitione, quae PAULO contigit, non affirmaverim; hominis ad instar inter homines versatus est cum discipulis, at hu-

---

(1) Cf. NEANDER, *Gesch. der Pflanzung*, I, 113 (nota).

(2) Dubitat RÜCKERTUS, ad. 1 Cor. XV: 8, an PAULUS vere JESUM viderit, quod tamen ipsius Apostoli verba confirmare videntur. Caeterum Virum doctissimum, ubi erravit, refutat NEANDER, *Gesch. d. Pflanz.* I, 117 (nota), qui recte animadvertit: *der Gegensatz, Apostg. IX: 7, μηδένα, nicht μηδέν, setzt aber allerdings voraus, dass Paulus zum Unterscheide von seinen Begleitern eine Person gesehen hatte.*

mani nihil quidquam inest iis, quae a PAULO visa sunt. Nondum in coelum adscenderat cum undecim discipulis edens et loquens; quae autem de conversione PAULI leguntur, post JESU in coelum ascensionem acciderunt. Praeterea idem LUCAS, qui JESU, e sepulcro egresso, manus pedesque tribuit, in Act. Ap. de apparitione, qua PAULO se JESUM conspiciendum praebuisse tradit, narrat: ἐξαίφνης περιέστραψεν αὐτὸν φῶς ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, auditaque voce loquentis de coelo, PAULI comites *neminem* vidisse. Ex his sequitur, longe aliam rem hic informari, quam apparitionem JESU iis similem, de quibus Evangelistae; recteque hoc discrimen perspexisse LUCAM, qui memoriae eas tradidit, perspectum quoque habuisse Apostolum PAULUM. Hunc enim LUCAS comitatus erat, varia itinera facientem; ab hujus doctrina LUCAM non recessisse, et in Evangelio conscribendo ab eo aliquatenus auxilium petiisse, docent cum Evangelii Lucani indoles, tum Veterum testimonia.

Ex hisce jure efficere nobis videmur, PAULUM omnino discrevisse inter JESU redivivi apparitiones his in terris, atque eam, qua in itinere Damasceno ipse cum JESU locutus fuit. Quod si enim ejusdem, ac caeteras, generis hanc habuisset, omnino statuendum est, PAULUM aut verbo hoc significare oportuisse, aut hac in re a doctrina Apostolica recessisse, illud vero cum non fecerit, Evangelistis et Apostolis tacite assensit. Etenim non sine magno veritatis detrimento CHRISTI apparitionem in itinere Damasceno caeteris Christophaniis aequiparasset, quum doctrina Apostolica, ut LUCAE scripta testantur, rite inter

eas discernat, quocirca e PAULI silentio argumentum peti posse censemus, pro veritate eorum, quae antea statuimus. Eatenus vero PAULUS dicere potuit ὡφθῆ καὶ μοι (1 Cor. XV: 8.), quatenus et ipse Dominum se vidisse sibi persuasit; licet in caeteris hanc CHRISTI apparitionem alius fuisse generis, quam quas antea commemoraverat, rite cognoverit. Nam CHRISTI apparitio in itinere Damasceno, licet, in se spectata, nobis non probet, in vitam Eum rediisse, tamen hanc probandi vim Apostolo PAULO non habere non potuit, quippe qui ita ab ipso Sospitatore ad munus suum obeundum vocatus est, neque CHRISTUM viventem sibi cogitare potuit, nisi et ipsum illum e mortuis in vitam revocatum.

Hunc vero locum, si quem alium, perverse interpretatus est STRAUSSIVS, assentientem sibi habens WEISSIVM (1). Statuit enim, PAULUM omnes JESU apparitiones ejusdem generis existimasse, atque illam, qua ipse Dominum viderit. Hanc autem PAULI Christophaniam »als äusserer, objective Erscheinung des wirklichen Christus" accipi posse negat; unde sequeretur, caeteras, quarum mentionem injiciunt Evangelistae, huic similes fuisse et potius visiones esse habendas (2).

Negamus autem PAULUM omnes CHRISTI apparitiones,

---

(1) L. I. II, 367 sqq.

(2) L. I. II, 637 sqq. Praecedente saeculo jam exstitit, qui eadem ratione locum nostrum interpretatus, tandem »εὐφρανα!" se posse clamare sibi visus est. Cf. a STRAUSSIO laudatus in SCHMIDTII *Bibl. f. Krit. u. Exeg.* I. I.

quas commemoravit, ejusdem habuisse generis, licet de omnibus verbo ὡφθῆ (Χριστὸς) utatur. Sed insuper ad sanae Hermeneutices regulas non attendisse STRAUSSIIUM statuimus. Videas enim, quam pulcre ille locum difficiliorem attulerit, ut locum intellectu faciliorem interpretaretur. Traditur historia CHRISTI, a discipulis conspecti, in Evangeliiis et Actuum Apost. libro, explicatu non ita difficilis, quia ex rerum adjunctis sat lucis hauritur caeterisque affunditur. Locum autem Paulinum difficiliorem dicimus, quia breviter tantum plura conjungit, quae omnino interpretatione indigent, neque e contexta oratione explicari possunt. Nonne igitur ipsa res et ratio docent, 1 Cor. XV: 5—7 conferendas esse cum locis, ex Evangeliiis supra allatis, contra 1 Cor. XV: 8 conferri debere cum Act. Ap. IX: 3 sqq., XXII: 6 sqq. et XXVI: 12 sqq.? Nonne ita loca Paulina, breviora illa, ex Evangeliiis et libro Act. Ap., quippe fusius rem pertractantibus, egregie illustrantur? Sic patere mihi videtur, PAULUM nequaquam de iisdem rebus hic egisse, verum primum apparitiones, quas et Evangelistae tradiderunt, deinde vero CHRISTI apparitionem in itinere Damasceno commemorasse, ab illis longe recedentem et omnino discernendam. Ita breviorum PAULI narrationem supplere nos oportet et explicare e LUCAE aliorumque scriptis, rem fusius pertractantibus, ut sanae Hermeneutices legibus obtemperemus; STRAUSSIIUM vero, uti in caeteris, ita hic quoque, errasse luce clarius apparet.

Praeterea in eo ille non recte egit, quod, cum repugnantias exponeret inter Evangelistarum de JESU a



discipulis conspecto narrationes, simul ad disquisitionem eam traxerit locum nostrum Paulinum, quasi de fide Evangelistarum detraheretur, si ab iis PAULUS recessisset, qui minime JESU apparitionum historiam tradere sibi proposuerat. At vero non tantum non pugnat PAULI testimonium cum Evangelistarum narrationibus, verum egregie illud confirmat, magnamque probandi habet vim. Concedit enim ipse STRAUSSIVS, locum nostrum, minime spurium, conscriptum esse 30 fere annis post JESU in vitam reditum, quo tempore multi, se Dominum vere vidisse, existimarunt (cf. 1 Cor. XV: 6). Ita luculenter probatum esse videmus, PAULI aetate quam plurimos JESUM in vitam revocatum, corpore humano indutum, conspexisse, quod testatur cum Epistola I PAULI ad Corinthios, tum ab illa distinguenda alioque consilio conscripta Evangelia Canonica.

Nullum igitur fere dubium exstat, quin vere in vitam redierit, suisque se conspiciendum praeberit redivivus Sospitator. At una tamen restat, ad quam respondendum est, objectio, a CHRISTI aequalibus mota, quam STRAUSSIVS aliique non intactam reliquerunt, quamque eorum lapidem angularem fere diceremus.

§ 4.

*His nihil inest, quod cum naturae legibus  
pugnare jure quis statuatur.*

Mortuum fuisse JESUM concedunt STRAUSSIVS, WEISSIVS, alii; illum discipulis in vitam revocatum apparuisse, hu-

mano indutum corpore, statuimus nos, quod negant illi, una cum Sadducæis, μή εἶναι ἀνάστασις, opinantes. STRAUSSIIUM enim audias: »*Der Satz,*” inquit, »*ein Todter, ist wiederbelebt worden, ist aus zwei so widersprechenden Bestandtheilen zusammengesetzt, dass immer, wenn man den einen festhalten will, der andere zu verschwinden droht.*” Quod si JESUS resurrexerit, statuendum esse existimat, eum non vere mortuum fuisse; si vero revera mortuus fuerit, vix credibile ei videtur, in vitam JESUM rediisse. Monet deinde, multis sane verbis usus, resuscitationem e morte admitti non posse, nisi assumpto miraculo, et »*ein unmittelbares Eingreifen Gottes in den gesetzlichen Verlauf des Naturlebens, wie es geläuterten Ansichten von dem Verhältniss Gottes zur Welt widerspricht* (1).”

Hinc illae lacrimae! Ideo summo studio urgendas esse repugnantias censuit in Evangelistarum narrationibus de Angelis, JESU in vitam reditum cum mulieribus communicantibus, uti et in caeteris, quae de CHRISTO, a discipulis conspecto, tradunt. Attamen miror, STRAUSSIIUM quodammodo etiam conquestum esse de JESU, quod inimicis se conspiciendum non praebuerit, eumque hinc illic ita de illo, in vitam reverso, locutum esse, ut nonnumquam dubitares, num vere a nobis dissentiat; prae ceteris autem, eum professum esse, *si consentirent sibi invicem Evangelistarum narrationes, se JESU in vitam reditui, e gravi somno vel syncope exspergefatti, fidem*

---

(1) L. I. II, 676 sqq.

*esse habiturum* (1), licet ipse antea concesserit, vere mortuum fuisse JESUM! At vero conveniunt Evangelistae in re nostra tradenda! Majore etiam fide digni sunt, quam alii antiquorum scriptores historici, de quorum fide ne dubitatur quidem! Sic revera videremus, STRAUSSIIUM statuere aliisque concedere, quod ipse cum veritate historica pugnare probe cognitum habet; concedentem scilicet eum audiremus, JESUM non vere mortuum fuisse, de cujus tamen mortis veritate probe ei persuasum est. Causam quaeris? Quia nullis se impeditum sentit mente anteceptis opinionibus! Quia negante ejus *philosophia*, mortuum posse in vitam redire, contrarium vero luculenter testante *historia*, hanc contorquere, excruciare, excarnificatam in vanam umbram mutare mavult, quam placitorum istius falsitatem confiteri. Quia ex tripode affirmat ille: »*Es gibt überhaupt kein rein historisches Bewusstsein ohne die Einsicht in die Unzerreissbarkeit der Kette endlicher Ursachen und in die Unmöglichkeit des Wunders* (2); quum denique historiae testimoniis se convictum sentiat, omnis miraculi species prius ei removenda est, quam missa facienda historiae illa *conscientia* (*Bewusstsein*), quam sibi ipse vindicavit.

Qui tandem STRAUSSIIUM refutabimus? Miraculum omnino hinc cernitur, quod concedit ille, ideoque veritatem ejus historicam negat. Quum ille: »fieri non pot-

---

(1) L. I. II, 682.

(2) L. I. I, p. 86.

est," nos contra: »at aliquando factum est," respondentem eum nobis audimus: »igitur historia mentita est." Ubi philosophia docet, hominem, quum moriatur, in se non amplius existere, et post mortem personam esse, ab alio distinguendam, desinere, certo illa historiam telis suis petat necesse est, quippe quae exemplum manifestum nobis tradiderit, ei plane oppositum. Ille, qui animum dicit »*die Innerlichkeit des Leibes,*" corpus autem »*die Aeusserlichkeit der Seele,*" qui de illo, ubi a corpore sejungitur, affirmat, »(*dass die Seele als solche zu sein aufhört, mithin bei einer Wiederbelebungs, selbst wenn man sich auf ein Wunder berufen wollte, diess geradezu in der Erschaffung einer neuen Seele bestehen müsste*)<sup>(1)</sup>," numquam de JESU e morte in vitam resurrectione sibi persuadere poterit, quum ita JESUS non eadem persona q. d. fuisset ante mortem, atque post reditum in vitam; simul vero ratio humana non facile duos animos, alterum, postquam abierat alter, in eodem corpore habitasse concedat, quod revera cum naturae legibus, quoad eas cognitae habemus, pugnare dici posset.

Negare igitur in vitam rediisse JESUM mihi videtur STRAUSSIVS, quia cum naturae legibus hoc pugnare statuit; at erravit sane. Ratio enim humana, licet sibi relicta certe de *animo, post sejunctionem a corpore in se existente,* non persuasum habuisset, in hoc tamen doctrinae Christianae placito, divinitus datae, tamquam certo

---

(1) L. I. II, 67.

et cum mentis humanae expectationibus cogitandique regulis conveniente, acquiescere potest. Quod si verum est, animus cum corpore iterum jungi potest, quamvis per tempus aliquod ab eo separatus fuerit, modo et corpus iterum aptum ei fiat et idoneum habitaculum. Hoc si acciderit, extraordinarium quid accidisse dicendum est, minime vero cum naturae legibus id pugnare. Quod enim ab iis recedit, nondum cum iis pugnare censendum est: at naturae leges quis cognoverit? quis earum nexum perspexerit? quis Dei Creatoris potentiae terminos constituerit? Verum ne de miraculi possibilitate (sit venia verbo!) cum STRAUSSIO litigare, quaeque non recte statuit Hegeliana philosophia ex plurimorum sententia, refutare conari videamur; quod minime hujus loci nostrumve est habendum, quum JESU in vitam reditûs veritatem historice vindicare velimus. Constat autem, ipsi JESU resuscitationi fidem haberi posse, si ad testimonium ἀξιοπιστίαν attendas, eam vero negasse eos tantum, qui a priori statuerent: *fieri hoc non potuit*. Estne vero germanae philosophiae, ita alicujus rei veritatem negare, quum externis et internis argumentis probari ac vindicari possit ejus fides historica? Estne philosophi, de re in facto posita disputare, utrum fieri *potuerit*, an *non potuerit*? Certe difficile mihi visum est quaerere, utrum quidem fieri potuerit, postquam luce clarius apparuit, *revera* factum esse; quandoquidem nemo, recte argumentando, unquam probare poterit, rem, quam factam esse testantur plurimi, *fieri non potuisse*. Aequè minus cum TERTULLIANO (*de carne CHRISTI*

c. 5) statuimus: »Sepultus resurrexit — certum est, »quia impossibile est” (i. e. procul dubio = quia impossibile *videtur*), quam cum STRAUSSIO, omnibusque qui ei assentiunt: »sepultus non resurrexit — negandum »est, quia impossibile est.” Hi enim *συλαγωγούνται* *διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης, κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων — οὐ κατὰ Χριστόν.* Caveant illi, ne de re dubitasse videantur, de qua, quin fieri potuerit, temere dubitari non licet; ne de iis negandum sit, *μετὰ τινός αἰτίας ἰσχυρᾶς καὶ τῆς κατὰ τὴν ἀλήθειαν ἀσφαλείας* eos aliquid infitias ivisse, quum τὸ τοῖς οὐκ οὔσιν ἀπίστοις ἀπιστεῖν, ἀνθρώπων ἔργον οὐχ ἕγαινοῦση κρίσει περὶ τὴν ἀλήθειαν *χρωμένων* jure habeatur. Hoc enim, quod aequalibus jam dixit ATHENAGORAS (*περὶ ἀναστ. τ. νεκρ. 2.*), de iis omnino valet, iisque crimini dari potest.

---

### CONCLUSIO.

Sic igitur JESU in vitam reditum vindicavimus, et, pro virium tenuitate, adversariorum objectiones refellere conati sumus. Quam egregie rei veritas in oculos incurrit, ubi huc usque disputata brevi recolimus! Tradunt Evangelistae, egregie inter se convenientes, ex Angelis audivisse mulieres lactum, de JESU e morte resuscitatione, nuntium, in quibus narrandis summa fide digni illi sunt habendi. Tacent vero de ipsa CHRISTI resurrectione, ne

verbo quidem sententiam suam profitentes. Ipsa illa firmissimis comprobatur argumentis. Etenim vel ab Ecclesiae Christianae sociis antiquissimo tempore excogitata est, vel testes ἀξιόπιστοι ii sunt habendi, qui μάρτυρες resurrectionis jure dicuntur. *Illud* concedere nec licet neque expedit. Fraus enim ab ipsis discipulis et Apostolis defuncti repetenda esset, quorum animus simplex, quorum tristitia et expectationes ne minimam quidem fraudis suspicionem admittunt. Praeterea mythi ortus nequaquam explicari potest, quum fama percrebescens continuo sibi repugnantes habuisset et Judaeorum Senatuum, et militum custodiam, et sepulcrum, quod corpore non vacuum fuisset. *Alterum* luculentissime eo probatur, quod JESUM redivivum oculis viderint, manibus contrectaverint, cum eo accumbentes ederint, vocem Ejus audiverint. Harum apparitionum narrationes minime secum invicem pugnare vidimus, et a PAULO Apostolo confirmari et comprobari. Quae cum ita sint, cumque rem nostram fide historica dignissimam esse nobis patuerit, importune sane vox auditur clamantis: »E mortuis »resuscitari JESUS non potuit!» Huic Evangelistae, Apostoli, Judaei, innumera hominum millia per XVIII saecula, tot argumentis de rei veritate persuasi, respondent: »ἡγήσθη ὁ Κύριος ὄντως!»

Et vel sic tamen multi sunt, qui vel in vitam rediisse JESUM negent, vel si concedant, vim ejus et significationem non recte perscrutati esse, aut ab omni parte cognitam eam habere, videantur. Illos in primis, licet adhuc dubitent, mente anteceptis opinionibus impediti,

si veritati auscultare velint, de rei nostrae veritate historica sibi persuadere oportet, ubi non tantum attendunt ad difficultates, quibus obruuntur, sed etiam ad argumentorum vim, quibus refutantur. Haec enim rei nostrae vis est et significatio, ut in se spectari non possit, sed continuo sponte sua, digito quasi, alia monstret, quibuscum arcte conjuncta est, ita ut ab iis sine magno veritatis detrimento divelli nequeat. Attendamus ad vitam fataque CHRISTI, reditum autem Ejus in vitam negemus; in Apostolorum discipulorumque redivivi historiam oculos convertamus, sed JESUM e morte resuscitatum fabulam dicamus; Ecclesiam Christianam ante XVIII saecula existisse concedamus, simul vero JESUM mortuum quidem, at non e sepulcro redivivum prodiisse, affirmemus; tandem, si nosmet ipsos intueamur, praesentemque nostram conditionem, internam praesertim, contemplemur, quis solatium non quaerat, vitaeque futurae, terrestri hacce longe praestantioris, spem non foveat? Quis autem, negata JESU in vitam resuscitatione, historiam CHRISTI et Ecclesiae intelligat, quis validum solatii speique inveniat fundamentum? Certe, si quid aliud, haec nos cogunt, narratis ab Evangelistis fidem habere, simul vero accuratius in JESU resurrectionis momentum inquirere.

---



## PARS II.

JESU IN VITAM REDITUS MOMENTUM PROBATUR.

---

Vidimus jam in introitu, vario modo reditum JESU in vitam interpretatos esse *cum* Theologos tum Philosophos. Nam licet eorum nonnulli historicam ejus veritatem negarent, vel sic tamen ipsam JESU resuscitationis historiam *symbolum* dixerunt idearum sublimium, ipsum ideae involucrum parvi facientes. Aliter omnino discipuli Sospitatoris, qui rei veritatem agnoscentes simul ad ejus significationem sensumque symbolicum rite attendebant; quos imitari nos oportet, ita ut cum persuasione de rei veritate studium recte aestimandi magnique faciendi ejus significationem jungamus. Apostoli certe JESU resurrectionem cum vita Ejus antecedente terrestri arctissime junctam esse viderunt; illi omnium optime senserunt atque exposuerunt egregiam resuscitationis vim, magnumque in confirmanda hominum salute momentum; praeterea vero nos *et* vitam eorum, mutatamque animi conditionem perspicimus, *et* in perenne

illud JESU e mortuis resuscitati monumentum, Ecclesiam dico Christianam, oculos conjicimus. Conjungas quaeso haecce: JESU CHRISTI vitam ante mortem; Ejus discipulorum de Eo cogitandi et agendi rationem, postquam resurrexerat, comparatam illam cum iis, quae ante Sospitatoris mortem sensisse, dixisse, egisse feruntur; adspice magnificum illud aedificium, cujus fundamenta jecerunt Apostoli, cujusque ἀρχογονίατος est ipse JESUS CHRISTUS. Ne vero laeteris, Dei filium hominem factum esse, ut aeterna mortales donaret salute, si neges ipsius e mortuis resuscitationem: qua negata, ne causam explicare coneris, neque mutati Apostolorum animi, neque originis Ecclesiae Christianae, imo vero ipsum potius nobis aufer mortuum CHRISTUM; quo mortuo ac non redivivo *ματαία* Christianorum fides sit, defunctique sepulcrum hac inscriptione appareat munitum: *ἔτι ἐστὶ ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν.*

Sed haec accuratius perpendamus: quo facto, JESU resurrectionis momentum dilucide apparebit. Itaque oculos convertamus in JESU CHRISTI vitam ante mortem, in Apostolorum historiam, in Ecclesiae Christianae primaevae fata, denique in salutis aeternae spem, quam jure fovere jam nobis videmur, ut luce clarius pateat conjunctio arctissima eaque numquam solvenda, quae hisce omnibus cum JESU CHRISTI reditu in vitam intercedat.

## CAPUT I.

NEXUS, QUI JESU IN VITAM REDITUI CUM EJUS VITA  
ANTE MORTEM TERRESTRI INTERCEDIT.

Quicumque Evangelistarum de JESU, his in terris ver-  
sante, narrationes accurate et assidue perlegit, neque  
hîc illic oculos vagari sinit, certo pulcerrimam animad-  
vertit *συμμετρίαν* illam, quae ex artis legibus in picta  
quaque tabula adsit necesse est, quamque oculis conti-  
nuo quaerit artis peritus. Namque

Humano capiti cervicem pictor equinam  
Jungere si velit, et varias inducere plumas  
Undique collatis membris, ut turpiter atrum  
Desinat in piscem mulier formosa superne;

aeque minus ille sensui aethetico q. d. est satisfactorius,  
atque vitae JESU interpres ille, qui sublimia atque vere  
divina quaeque ab ea auferens, sensui satisfecerit reli-  
gioso. Nam junxit quidem iste pictor, quae non jun-  
genda sunt: interpres vero hicce disjunxit, quae disjungi  
non possunt. Cuinam, quaeso, placeat STRAUSSII agendi  
ratio, qui critico suo ingenio ita morem gessit, ut pro-  
lubitu eas historiae partes evellere ausus sit, quae su-  
spectae ei viderentur, tandemque vitam nobis descri-  
bat hominis, cui jam plura hominum millia similia  
fuere, quum nihil passus sit, dixerit, egerit, quod non  
alii quoque passi sint, dixerint, egerint? Cuinam ve-  
risimile videatur, Ejus vitae, quae nihil sibi privum

propriumve habuit, partem *ἐτερογενῆ* addidisse Apostolos, ab ipsis excogitatam, qualem jure diccremus JESU in vitam reditum? Homo ex hominibus humana ratione natus, per annos aliquot inter Judaeos versatus, ab aliis institutus, nihil novi docens, asseclas nonnullos nactus, praejudicatis ipse opinionibus, imo perversis, ductus, tandem Judaeorum furori succubuit, omniumque instar mortalium mortuus est, cruci affixus. Hunc vero, momente STRAUSSIO, cui summa quaeque deinceps tribuerunt discipuli, e mortuis etiam resuscitatum dixerunt; illum, qui nihil fecit, quo tali honore dignus videri posset, e sepulcro redivivum prodiisse professi sunt ejus asseclae! Quaerisne hujus rei causam? Respondet interpres ille vitae JESU: Quia tota JESU, dum in vivis erat, sentiendi, loquendi, agendi ratio, tota ejus doctrina, tota ejus persona, hanc habuere vim in discipulorum animis, ut sponte sua ejusmodi rerum eventum sibi effingerent. Quasi necessarium fuisset, *talem* hominem in vitam rediisse! Quaeres fortasse iterum, qui tandem JESU agendi ratio, totaque ejus persona, hoc efficere valuerint? Tacet jam interpres ille, et tacere eum, quis miretur, quum certe nemo illud intelligat aut explicare possit.

Quod si praeplacet STRAUSSII aenigmata missa facere, atque Evangelistarum narrationes diligenter indagare, videbimus, JESUM CHRISTUM, prouti describitur in Evangeliiis, summa fide dignis, in vitam redire debuisse, ut ne antecedens Ejus vita, veritati convenienter tradita, iterum aenigma nobis videatur. Quem in finem oculos convertamus *tum* in fata, quae subiit, *tum* in doctrinam,

quam de se ipse professus est, *tum* in facta Ejus, praesertim mirifica, quo clarius nexus pateat, qui Ejus in vitam reditui cum singulis hisce partibus, arctissime semper jungendis, intercedit.

§ 1.

*Nexus cum fati JESU extraordinariis.*

Attendentibus ad fata JESU extraordinaria, primo loco nobis occurrunt Ejus natales. Ecce! Angelus τὴν κεχαριτωμένην virginem adit, illique Dei consilium annunciat; πνεῦμα, inquit, ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σε, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι. Natus infans, popularibus fere ignotus, honoratur ab exteris, numero paucis, a pastoribus Judaeis, nulla fama utentibus; laudem vero Dei celebrant Angeli, quorum unus pastoribus annuciaverat: ὅτι ἐτέχθη ὑμῖν σήμερον σωτήρ, ὃς ἐστὶ Χριστὸς Κύριος. Puer JESUS προέκοπτε σοφίᾳ καὶ ἡλικίᾳ καὶ χάριτι παρὰ Θεῷ καὶ ἀνθρώποις. Triginta annos natus, per trium fere annorum spatium, publice inter Judaeos degit. Hominibus omni modo prodesse studens, plurimos ad se allicit multifariis beneficiis, atque doctrinae annunciatione, quam audientes Pharisaeorum ministri profiteri coacti sunt: οὐδέποτε οὕτως ἐλάλησεν ἄνθρωπος, ὡς οὗτος ὁ ἄνθρωπος (Joh. VII: 46). Aegrotos sanavit, coecis oculos reddidit, variisque malis medicinam attulit, quibus factum est, ut multi amore Eum prosequerentur. Quid? quod divinitus missi Angeli, in deserto, ad Eum venientes διηκόνουν αὐτῷ, postquam

brevi antea JOHANNES Baptista de coelo viderat τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ καταβαῖνον ὡσεὶ περιστεράν, καὶ ἐρχόμενον ἐπ' αὐτόν, atque vox de coelo clamans audita est: οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς μου ὁ ἀγαπητός, ἐν ᾧ εὐδόκησα. Postea cum MOSE et ELIA loqui visus est PETRO, JACOBO et JOHANNI; cum fulgeret splendore magnifico, audierunt vocem ἐκ τῆς νεφέλης, ἐνεχθεῖσαν αὐτῷ ὑπὸ τῆς μεγαλοπρεπούς δόξης (2 Petr. I: 17), iterum eadem praedicantem, additis verbis: αὐτοῦ ἀκούετε. Tandem brevi ante mortem ἦλθεν φωνὴ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ· καὶ ἐδόξασα, καὶ πάλιν δοξάσω, quam nonnulli ita explicarunt, ut Angelum Eum allocutum esse existimarent. Succubuit tandem sua sponte Judaeorum furori, ac lubens improborum injuriis se tradidit, postquam illi Angelus apparuerat, ἐμισχών αὐτόν. Mortem subiit ille, cujus laudes coelum pronuntiari audierat, cujus fata extrema adspicere noluit; nam σκότος ἐγένετο ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν, et moriente Illo ipsa terra commota est, adeo ut τὸ καταπέτασμα τοῦ ναοῦ ἐσχίσθη εἰς δύο ἀπὸ ἄνωθεν ἕως κάτω. Ita jam, quod coelum, terram, Angelos confirmare vidimus, Hecatontarchum militesque pronuntiantes audimus: ἀληθῶς Θεοῦ υἱὸς ἦν οὗτος. Haec fata erant hominis sanctissimi, quorum finis fuerit in sepulcro? Hic, uti extraordinaria via inter homines prodiit, solita ratione a mortalibus discesserit? Fide dignissima esse, quae de JESU Evangelistae narrant, luce clarius probaverunt quam plurimi, ideoque iis lubenter adstipulamur. Quem igitur Angeli celebrarunt et visiterunt, quem voces de coelo missae laudarunt, Eum ab hominibus odioso

crucis supplicio necatum esse, sceleratis et improbis annumeratum esse credamus, simul vero concedamus, Apostolos, licet mortuum magistrum numquam in vitam reversum vidissent, postea certe efficturos fuisse Ejus e mortuis resurrectionem. Nam respondet vitae JESU terrestri resurrectio, atque jam defuncti persona hanc vim in iis habere debuisset, ut, quae historiae ejus deessent (nam certo desideratur aliquid, quod mortem subsequutum sit necesse est), haec ipsi adderent. At vero ejusmodi quid excogitari non potuit. »*Die Wiedererweckung »des gestorbenen Christus*» (sunt verba HERDERI <sup>(1)</sup>) »*hat, menschlich gefasst, etwas so Erhabenes, Ruhrendes und Schönes, dass, wenn sie eine Fabel wäre, »wie sie es nicht ist, man ihr Wahrheit der Geschichte wünschte,*» atque inferius JESU mortem eamque secutam resurrectionem dicit: »*in der unglücklichsten »Katastrophe so edel, schön und gross, dass es »wohl eine göttliche Katastrophe heissen möchte.*» Est omnino vera historia, quam de JESU in vitam reditu tradiderunt discipuli et Evangelistae; pertinet ad τὴν ὑγιαίνουσαν διδασκαλίαν, atque ita arcte cum antecedente Ejus vita conjuncta est haec posterior pars, ut revera dubites, num majorem umquam videris convenientiam. Quum ἐν πληρώματι τῶν καιρῶν filium suum misit Deus omnipotens, in tenebris erat Ille τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον, in tenebris versabantur omnes peccato et vitiis obruti; mortuo Domino

---

(1) L. I. VII: 6.

luxerunt Ejus discipuli et asseclae, omnesque, qui Eum amaverant, animus defecit, eorumque pectus nox oppressit caliginosa; redivivus autem Sospitator lucem iis attulit, et vitam gaudiumque. Namque ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων (Joh. I: 4). Hoc illi praesertim senserunt, »da die, die alles ver»loren hatten, die wie vom Hagel getroffene zer»knickte Blumen lagen, auf einmal die Sonne aufge»hen sahen, die sie nicht nur erhob, sondern ver»jüngte und mit neuen Farben schmückte,“ quod recte HERDERUS (1). Sanctus Angelorum chorus in agro Bethlehemitico summi Dei celebravit laudes, unusque ex iis JESU natales simplicibus narravit pastoribus; ita quoque pavidas mulieres certiores fecerunt resuscitationis Sospitatoris Angeli duo, atque antea sine dubio honorem detulerant redivivo e sepulcro victori, Ejusque laudes celebraverant (2). Nato ac redivivo CHRISTO gavisus sunt pii probique, improbi contra injuriis vel odiosa fraude nocere ei conati sunt; ab hisce, Judaeorum proceribus et magistratibus, minime tanquam CHRISTUS agnoscebatur. Adde, quod non magnae hominum turbae laetum nuntium annuntiarunt spiritûs coelestes, quod Regem aut

(1) Ibidem.

(2) Quod monuit cl. HERINGA, in disp. laud., a soc. Hag. praemio orn. 1811, p. 187. »Nu de eerstgeboren zoon van God voor de »tweedemaal *ter wereld* werd *ingevoerd*, was het nu niet voegzaam, »dat *Engelen voor Hem knielden*, daar Hij nu dat werk volbragt »had, door hetwelk Hij zich het opperbewind over Engelen en menschen verworven heeft?»



Senatum Judaeorum non adierunt Dei illi ministri, sed pastores tantum et mulieres, qui cum aliis audita et visa communicarent. Liceat vero, ὡς ἐν παρέργῳ, animadvertere, ipsam JESU matrem, prouti πάντα συνετήρει τὰ ῥήματα, συμβάλλουσα ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς, quum nasceretur JESUS, ita quoque animi tranquillitate et fide, filio suo habenda, caeteros omnes superasse, quum mortuus esset; etenim, neque ad sepulcrum neque in via eam filium quaesivisse die tertio, narrant Evangelistae. — Ad horum attendas narrationes. »Reditus CHRISTI in »vitam ita narratur, ut in rerum adjunctis, in terrae »motibus, in satellitum tremore, in mulierum condi- »tione describendis multi sint Evangelistae; de ipsa vero »JESU resurrectione nihil fere exponant, probe nimirum »sentientes, talem rem a se nequaquam adumbrari posse. »Eandem vero modestiam et nostrae referunt narrationes” (de JESU e virgine nato), »in quibus MARIAE dubia, An- »geli responsum, virginis obedientia, iter, animique »gaudium copiose describuntur, ipsa vero res, concep- »tio a Spiritu sancto, silentio sanctissimo praeteritur. »Et natalium et resurrectionis historia incipit adeo a »miraculo quodam, humanum CHRISTI corpus spectan- »te <sup>(1)</sup>.” Ita JESU resurrectioni nihil inest, quod non conveniat cum antecedente ejus vita, aut in fata ejus extraordinaria non quadret, imo terra tremebunda im-

---

(1) Verbis usus sum amicissimi mihi J. J. VAN OOSTERZEE, in Disp. de JESU, e virgine MARIA nato. Traj. ad Rh., 1840, p. 202, qui breviter, at acute, rem, de qua agimus, attigit.

piis quasi Hierosolymis significavit, se illius cadaver continere non posse, cujus crucem ferens tremuit, quemque crimine omni insontem ab improbis necatum, a Deo resuscitatum, vidit. Terra illa, quae antea sudorem ejus hiberat sanguineum, animo deficiente, jam Angeli, saxum removentis, sentit vestigia leviter eam prementis, quemque fortasse brevi antea dolenti succurrentem viderat, clarissimi nunc victoris Deique filii praeconem audit triumphantis, ministrum videt rediivi.

Pulcerrimam certe harmoniam animadvertere hîc licet; quam providentiae divinae tribuimus, non fictioni humanae. Quis tandem affirmando ad quaestionem Apostoli respondere ausit: τί; ἄπιστον κρίνεται παρ' ὑμῶν εἰ ὁ Θεὸς νεκροὺς ἐγείρει; CHRISTI fata intelligi nequeunt, negata ejus e mortuis resuscitatione.

## § 2.

### *Nexus cum doctrina, quam de se ipse professus est.*

Haec cum fuerint JESU fata, mirum videri posset, si non praeclara quaeque de se professus esset. Hoc vero probatur iis, quae sibi tribuit JESUS, quibus apud nos constat, Eum nulla peccati labe infectum, ipsius vitae aeternae fontem fuisse, hujusque rei conscium Eum praescivisse, se mortis victorem e sepulcro proditurum esse. Prae caeteris ad hanc doctrinae Ejus partem attendimus, caetera missa facientes, quia arctiore nexu juncta illa nobis videtur cum Ejus reditu in vitam, ideoque singulatim

videbimus de JESU ἀναμαρτήτω, qui ἡ ζώη erat, atque in vitam se rediturum esse, praescivit et praedixit.

I. De JESU ἀναμαρτησίᾳ nulli dubitant, qui Sospitatore generis humani Eum agnoscunt, neque eam negant quam plurimi eorum, qui dubitanter de vera JESU resurrectione loquuntur. Eam probare minime nostrum est, qui ad JESU vitam attendimus, et, historia duce, quid de se ipse pronuntiaverit, quaerimus. Unice historiam consulentibus non facile erit probatu, ab omni peccati macula immunem fuisse JESUM, quod cum ULLMANNUS <sup>(1)</sup> probare conatus sit, Clar. tamen viro non ex omni parte bene id cessisse ostendit C. F. FRITZSCHIUS <sup>(2)</sup>, qui dogmatica ac philosopha via incedendum esse monet. At constat, Apostolos de CHRISTO ita sensisse, ut Eum dicerent τὸν ἅγιον καὶ δίκαιον (Act. III: 14.), τὸν ἄμωρον ἀμόμων καὶ ἀσπίλον (1 Petr. I: 19), τὸν μὴ γνόστα ἀμαρτίαν (2 Cor. V: 21), et alibi aliter.

Etenim animi puri sibi conscius, JESUS se unum cum Patre sensit, et »qui me vidit,» inquit, »Patrem vidit» (Joh. XIV: 9), Dei sanctissimi referens imaginem.

---

(1) Cujus liber *über die Sündlosigkeit Jesu* omnibus notus est.

(2) Commentationes IV de ἀναμαρτησίᾳ JESU CHRISTI, insertae in FRITZSCHIORUM *Opuscul. Acad.*, p. 48—142. Nuperrime quoque in lucem prodiisse video Diss. C. F. DÖHNERI, de *dictis aliquot JESU CHRISTI, quae ἀναμαρτησίαν ejus infringere videantur*. Zwicav. 1840. Unice vero agens de Joh. I: 4, Matth. XII: 48 sq., XV: 26, Joh. X: 8, Matth. XIX: 26 sqq., plura omnino omisisse, alia minus recte animadvertisse videtur.

Quem Angelus jam dixerat τὸ ἅγιον atque υἱὸν Θεοῦ, is ita inter homines vixit, ita parentibus, discipulis, inimicis placuit, ut eorum nemo aliquid habuerit, quod ei objiceret, mali aut perversi. Quod perficiendum illi tradiderat opus Pater coelestis, id lubentissime perfecit, ita ut publice professus sit: ὅτι ἐγὼ τὰ ἀρεστὰ αὐτῶ ποιῶ πάντοτε (Joh. VIII: 29). Quis hominum ejusmodi quid pronuntiaverit, nisi hypocrita aut fraudulentus ostentator? Quis, nisi probe convictus, nemini innotuisse, se aliquando peccasse dicam? an per totam vitam ne cogitatione quidem a bono se aberrasse, palam inimicos interrogare non dubitaverit: τίς ἐξ ὑμῶν ἐλέγχει με περὶ ἁμαρτίας; (Joh. VIII: 46). Haec sunt ejus verba, cujus erat cibus voluntati obsequi Patris, qui Eum miserat, qui, ut servos peccati, quippe ἐν τῇ οἰκίᾳ non versaturos εἰς τὸν αἰῶνα, liberaret, in mundum venerat, ipse scilicet ὁ υἱὸς ὁ μένων εἰς τὸν αἰῶνα. Ita discrimen fecit inter se ipsum et τοὺς ποιούντας τὴν ἁμαρτίαν, qui, ab eo liberati, vere liberi dici possent (Joh. VIII: 34—36). Peccati igitur imperio non suberat, neque umquam a Deo defecerat, quum caeteroquin mortales liberare non potuisset. Quocirca morte prope adstante preces fundens, τὸ ἔργον, inquit, ἐτελείωσα, ὁ δέδωκας μοι, ἵνα ποιήσω (Joh. XVII: 4), et mox, τὰ ἐμὰ πάντα σὰ ἐστί, καὶ τὰ σὰ ἐμὰ (s. 10). Ita tantum conscia mens recti precatur ad Deum omnia scientem, quocirca si vel in minimis erraverit, aut coram Deo hominibusque ἀναμαρτησίας speciem quamdam falso jactasse censendus est, aut PETRO assentiendum, de JESU dicenti: ὅς

*ἀμαρτίαν οὐκ ἐποίησεν, οὐδέ εὐρέθη δόλος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ* (1 Ep. II: 22). At vel sic tamen mortuus est sanctissimus hicce inter homines! Vel sic tamen stipendium Eum meruisse peccati omnes jure statuerent! Mors enim, ubi finis imponitur vitae terrestri, neque ulla adest spes vitae post mortem felicis futurae, ubi peccati servum flagitiorum poenae manent, mors enim sibi CHRISTUM quoque subjecisset, et testimonio suo comprobasset Judaeorum criminationem. Quod si igitur in vitam non rediisset JESUS, peccato obnoxius fuisse habendus esset, licet origo Ejus fuerit extraordinaria, licet ab omni peccati labe omnibus immunis visus sit. Tum enim ipse Deus, qui τὸν θάνατον non tantum mortem physicam, corporis exitium esse voluit, sed statum etiam insequentem animi infelicissimum, palam professus fuisset, JESUM non fuisse ἀναμαρτήτον. Fuerit autem insons coram Deo, mors calamitosa perniciesque foedissima nequaquam in Eum quadrarunt, atque debuit in vitam revocari, qui poena peccati injuria fuisset mulctatus.

Verum jam videas, quid acciderit. Ipse ille, qui ante mortem, ut vidimus, peccati immunitatem sibi vindicavit, qui ad Deum precatus erat: *δόξασόν με σὺ πάτερ παρὰ σεαυτῷ τῇ δόξῃ, ἣ εἶχον πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι παρὰ σοί* (Joh. XVII: 5), quae verba si mortalis homo, si servus peccati emittere auderet, blasphemiam continerent, ille, postquam per duas noctes diemque unum sepulcrum sibi habuit cadaveris habitationem, ἀναμαρτήτος apparuit e sepulcro egressus. Patuit ita, Eum certe non peccasse, qui poenas non exti-

mescebat peccati, cujus corpus nova vita donatum luce clarius comprobavit, Eum non mentitum esse. Quae-  
risne argumentum historicum e vita JESU, ut immunitatem  
Ejus probes a peccato, attendas, quaeso, ad reditum  
in vitam, quo majus non facile afferes, quo certius non  
invenies, quo ad aliis persuadendum magis idoneum non  
habetur. Nam ita filius esse Dei apparuit, qui a Patre in  
vitam revocatus est, prouti etiam *πνεῦμα τοῦ ἐγείραντος*  
*Ἰησοῦν ἐκ νεκρῶν* corpora mortalia vitâ donare valet;  
ille qui in vitam non revocatus fraudator habendus fuis-  
set, jam resuscitatus *ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι*.

Quis jam est, quin Deum audiens de JESU praedi-  
cantem: hic est filius meus, quem dilectum habeo; atque  
JESUM se filium esse Dei affirmasse sciens, continuo nar-  
rationi fidem negaret, quae mortuum fuisse, at non in  
vitam revocatum CHRISTUM, memoriae traderet? Hoc  
aenigma nec solvi posset, neque cum aliis JESU de se  
effatis componi.

II. *Ἐγὼ εἶμι ἡ ἀνάστασις καὶ ἡ ζωὴ* (Joh. XI:  
25); ita fontem et auctorem vitae se dixit JESUS, et  
alibi: *ἐγὼ εἶμι ἡ ὁδὸς, καὶ ἡ ἀλήθεια, καὶ ἡ ζωὴ* (XIV:  
6), ita ut per illum, tamquam per viam certam ae-  
tutam, ad Patrem pervenire unice possimus. Hoc  
tam certo enunciavit, quia arctissima conjunctio inter-  
cedit inter Ipsum et Patrem, qui *ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ*,  
et *ἔδωκε καὶ τῷ νιῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ* (V: 26).  
Ex hoc vitae aeternae fonte non tantum verba pro-  
fluebant melle dulciora, sed quae ipsam quoque mortem  
perniciemque fugabant; scilicet ex se ipse non loque-

batur, sed verba, quae ei Pater tradiderat, cum hominibus communicabat, Deique λόγος ἀλήθεια ἐστὶ (XVII: 17). Ideo dixit, se daturum esse aquam, quam si quis gustaverit, οὐ μὴ διψήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα, quum aqua illa γενήσεται ἐν αὐτῷ πηγὴ ὕδατος ἀλλομένου εἰς ζωὴν αἰώνιον (IV: 14). Ita quoque: ἐγὼ εἰμι ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς (VI: 35), quem panem τὸν ἀληθινὸν dixit, ζωὴν δίδοντα τῷ κόσμῳ, qui e coelo descenderat; quo factum est, ut τὴν βρωσὴν τὴν μένουσαν εἰς ζωὴν αἰώνιον ipse dare posset ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου (s. 27). Hunc miserat ὁ ζῶν πατήρ, viventem, ut ipse addit JESUS, διὰ τὸν πατέρα; quicumque ὁ τρώγων με, inquit, (τὸν ἄρτον ζῶντα) κακείνος ζήσεται δι' ἐμέ (s. 57). Vitae auctor ita erat τὸ φῶς τοῦ κόσμου, quam lucem si quis sequi vellet, ἔξει τὸ φῶς τῆς ζωῆς (VIII: 12), uti alio loco, καὶ γὰρ ζωὴν αἰώνιον δίδωμι αὐτοῖς, affirmavit Sospitator (X: 28). Quae cum ita sint, non potuerunt non verba Ejus atque doctrina hanc habere vim, ut, qui ea audirent fideque amplecterentur, vitae aliquando futurae participes fierent; idcirco dicit JESUS, ipsi Patrem dedisse ἐντολήν, quae est ζωὴ αἰώνιος, i. e. qui JESU auscultarent, iis verba Sospitatoris causam efficientem et fundamentum fore vitae salutisque aeternae (XII: 49, 50). Namque ὁ πιστεύων εἰς τὸν υἱὸν ἔχει ζωὴν αἰώνιον (III: 36), quia Ejus ῥήματα πνεῦμά ἐστιν καὶ ζωὴ ἐστὶν (VI: 63), eamque habent efficacitatem, ut, qui fidem CHRISTO haberet, vere vivere dici posset, etiamsi mortuus sit, quum mors sit vi sua destituta; ὁ πιστεύων εἰς ἐμέ, ita CHRISTUS, καὶ ἀποθάνῃ, ζήσεται (XI: 25).

Quid? quod ipse monet, ut ne ullum relinquatur dubium, ἀμήν ἀμήν λέγω ὑμῖν, ἵάν τις τὸν λόγον τὸν ἐμὸν τηρήσῃ, θάνατον οὐ μὴ θεωρήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα (VIII: 51).

Qui ita ἡ ζωὴ erat, idem ille erat ἡ ἀνάστασις; qui fidem ipsi habentibus fons et auctor vitae exstitit, omnes ille corpore mortuos in vitam revocare potest. Distinguendum enim esse videtur inter ζωὴν et ἀνάστασιν (cf. Joh. VI: 39, 40, 54), et quum participes τῆς ζωῆς jam fiant, qui CHRISTO fidem habeant, hac in vita terrestri, ita mors physica est transitus ad vitam aeternam coelestem, ut hujus ζωῆς pignus haberi possit ἡ ἀνάστασις. Hanc ob causam Pater JESUM miserat, ut, qui filio fidem haberet, in aeternum viveret, unde JESUS promittit: καὶ ἀναστήσω αὐτὸν ἐγὼ τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ (VI: 39, 40), imo ἔρχεται ὥρα, inquit, ἐν ἣ πάντες οἱ ἐν τοῖς μνημείοις ἀκούσονται τῆς φωνῆς αὐτοῦ (τοῦ υἱοῦ), qui ad resurrectionem aut vitae aut damnationis resuscitabantur (V: 28, 29).

Qualia effata! Quot nominibus differt ille a caeteris mortalibus, quibus Deus vitam dare atque auferre potest, qui vitam cum aliis communicare non possunt, nec spiritum aut animam ne per momentum quidem temporis sibi vindicare; qui peccato servientes mercedem omnes accipiunt τὸν θάνατον, corporis animique aeternam perniciem. Inter tales exstitit aliquando homo, a peccato liber. Antequam his in terris versaretur, imo ante mundum conditum se apud Patrem fuisse, profitebatur, humanâ vero assumptâ naturâ, arctissime illâ cum



divinâ conjunctâ, ut *υἱὸς τοῦ Θεοῦ* et *υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου* idem diceretur, fons erat uberrimus vitae, quam perditum genus humanum propter peccata amiserat. At quomodo ipse vitae fons, a Patre constitutus, interire aut exstingui potuisset, nisi ipso peccati imperio? In **JESU CHRISTO** autem non eam peccatum habuit vim, ut *τὴν ζωὴν* sibi subjiceret, et quum corpus τοῦ Θεάνθρωπου vi et supplicio necarunt mortales, non potuit non in vitam redire ille, ὃν ὁ Θεὸς ἀνέστησε, λύσας τὰς ὠδύνας τοῦ θανάτου, καθότι οὐκ ἦν δυνατόν κρατεῖσθαι αὐτὸν ὑπ' αὐτοῦ (Act. II: 24). Quî vero Pater omnium judicem constituisset Illum, qui mortuorum corpora resuscitaret, cujus sepulcrum clausum mansisse viderant ipsi homines, quem mortuum terra receperat, redivivum numquam viderat?

Rediit autem in vitam, ne morti ejusque adjunctis peccati poenis subesset, rediit in vitam, quia morte teneri non potuit. Historice constat, redivivum Eum e sepulcro prodiisse, quo vitae fons et auctor, quo ipsa ἀνάστασις esse apparuit. Summo jure, *καὶ μαρτυρεῖ*, inquit, *περὶ ἐμοῦ ὁ πέμψας με πατήρ* (Joh. VIII: 18); nam de Eo ita luculentissime Deus testatus est, ut toto animo, **PETRI** verbis usi, **CHRISTO** dicamus: *ῥήματα ζωῆς αἰωνίου ἔχετε!*

III. Quid? quod redivivum in vitam *vaticinatus est!* Quod ne mirum videatur. Nam, prouti vidimus, ille, qui a peccato immunis erat, quique vitae fontem se esse professus est, in vitam se redivivum esse praesciavit. **JESUS** eo lubentior Patri obtemperavit, jubenti *θεῖναι (τὴν ψυχὴν) καὶ πάλιν λαβεῖν αὐτήν* (Joh.

X: 18), quo certius ejus fuit consilium, hominibus salutem aeternam recuperare, vindicare, confirmare. Personâ quoque suâ Deum iis patefecit, quae ne interiret prae caeteris cavendum erat. Praeterea salutare, quod perficiendum sibi sumserat, opus, tam bene JESUS perspectum habebat, ut de felici eventu ne per momentum quidem temporis dubitaverit, optime sciens, se Patris voluntati obsequi. Hac spe fretus alias quoque oves sibi congregandas esse dixit, qui voci invitantis auscultarent, *καὶ γενήσεται μία ποίμνη, εἷς ποιμὴν* (Joh. X: 16), neque hoc tantum, sed fundamentum Ecclesiae suae validum esse scivit, ut affirmaret adeo: *καὶ πύλαι ἄδου οὐ κατασχύσουσιν αὐτῆς* (Matth. XVI: 18). Quantum solatium hoc ei praebuerit inter gravissimas vitae aerumnas, sponte patet, ubi tenerrimum advertimus amorem, quo totum genus humanum amplexus est. An vero hoc unice animum CHRISTO addiderit, ut fortiter oppugnaret mundum, peccatum, eorumque illecebras, jure dubitatur. Scilicet, si praevidisset JESUS, se non frustra quidem omnes vires intensurum esse in opus salutare perficiendum, hominumque salutem se stabiliturum, at *penitus* tamen se interiturum esse, ita ut personam ejus aggressi inimici, eam necarent perniciei que traderent, atque adeo cum dedecore se periturum esse; si praevidisset JESUS, pretium salutis generis humani suam esse vitam, suam personam, turpiter pereuntem, et in vitam non reducturam, certo non ea animi fortitudine, non ea constantia, non ea voluptate se in mundi salutem tradidisset, quibus jam mortem Eum subeuntem videmus. Nam intereunte

Ejus persona, periissent salutare operis effectus: haesitassent amici, gavisissimi inimici. Vinculum, quod solvi non potuit, inter ipsum Ejusque opus intercessit; non doctrina tantum, non verba suffecerunt, sed adfuerit ipse necesse fuit, ut, prouti Patrem patefecit personam suam, ita quoque illa, numquam interitura, confirmaret atque omnibus insequentibus saeculis traderet salutare sui operis effectus. Quocirca, licet difficultates Eum non laterent, quas removendas inveniret, (quo respicit illud: οὐκ ἤλθον βαλεῖν εἰρήνην, ἀλλὰ μάχαιραν, Matth. X: 34.) intima tamen animi persuasio, quod vitae esset fons et auctor ex Patris voluntate, certiore Eum reddidit gloriosae de morte victoriae, vitae novae initium, resurrectionis e mortuis. »*Lässt es sich bei dem, an welchem wir überall die Klarheit und Sicherheit bewundern, mit der er die Verhältnisse durchschaut,*» (sunt verba HASERTI (1),) »*lässt es sich bei dem Erlöser erwarten, er habe es übersehen können, sein Grab werde auch das Grab seines heiligen Unternemens sein, wenn sich die Allmacht Gottes nicht an ihm verherrlichen und ihn ins Leben zurückrufen werde?*» At sciebat, se, quum veritatem patefaceret, non interiturum esse, ut τὴν ζωὴν, τὸ φῶς τοῦ κόσμου, τὴν ἀνάστασιν se dicere posset, atque ita persuasum habebat, »*das Leben,*» ut idem

---

(1) Cf. C. A. HASERT, über die Vorhersagungen Jesu von seinem Tode und seiner Auferstehung, 1839, pag. 20. Conferri merentur, quae inde a pag. 16 jam monuit.

HASERTUS <sup>(1)</sup>, »das durch ihn Wahrheit geworden  
 »sei, könne nicht wieder untergehen, einmal in der  
 »Geschichte der Menschheit zur wahrhaftigen That  
 »geworden, müsse es fort dauern und seine Kraft  
 »immer weiter und weiter verbreiten.“ CHRISTI me-  
 moriam per omnia saecula homines tenere certo debue-  
 runt, si per Eum salutem aeternam consequi vellent,  
 at nisi redivivus e sepulcro prodissset, Ejus persona hanc  
 vim minime habere potuisset. Sacram instituens coenam  
 hoc praevidebat, de morte sua cogitans hoc praescivit,  
 atque igitur mirum nobis videri debuisset, si de reditu  
 in vitam ne verbo quidem monuisset. Tradunt vero  
 Evangelistae, Eum omnino ante mortem scivisse, e mor-  
 tuis Eum Patrem resuscitaturum esse, quod et disci-  
 pulis saepius annuntiavit: ἀπὸ τότε ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς δεικ-  
 νύειν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ὅτι δεῖ αὐτὸν ἀπελθεῖν  
 εἰς Ἱεροσόλυμα, καὶ ἀποκτανθῆναι — καὶ τῇ τρίτῃ  
 ἡμέρᾳ ἐγερθῆναι (cfl. Matth. XVI: 21, Marc. VIII:  
 31, Luc. IX: 22. Matth. XVII: 9, Marc. IX: 9.  
 Matth. XVII: 22, 23, Marc. IX: 31, 32. Matth. XX:  
 19. Marc. X: 34, Luc. XVIII: 33. Matth. XXVI: 32.).  
 Licet vero JESU sermones, quos, morte proxime adstante,  
 coram discipulis habuit, non totidem verbis reditū in  
 vitam mentionem injiciant, vel sic tamen numquam  
 ita placide et quieto animo de sorte sua futura, et de  
 iis, quae mox eventura erant, locutus fuisset, nisi  
 probe scivisset, se e sepulcro redivivum esse proditu-

(<sup>1</sup>) L. I. p. 22.

rum <sup>(1)</sup>. Non tantum hoc suspicatus est ratione humana, non erat incerta expectatio, non tantum ex rerum περιστάσειν aut temporis ratione effecit, aut V. T. effatum quoddam secutus est, sed certo certius ex Patre hoc cognovit et praescivit, tertio se die in vitam reditum esse, postquam mortem subiisset, atque disertis verbis coram Judaeis hoc professus est: *λύσατε τὸν ναὸν τούτου, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτὸν* <sup>(2)</sup> (Joh. II: 19.), prouti et alio tempore de reditu in vitam die post mortem tertio cogitasse videtur, Matth. XII: 39,

---

<sup>(1)</sup> Cf. ad hunc locum cl. H. E. VINKE, *Specim. laud.*, pag. 122—129.

<sup>(2)</sup> Tot ac tanta de loco hocce vere πολυθρόνηται monuerunt celeberrimi interpretes, ut paucis monere sufficiat, quibusnam rationibus inducti JOHANNI Apostolo adstipulari malimus in verbis illis interpretandis, quam interpretibus ab eo recedentibus. Etenim si revera tam inusitata fuisset locutio ναὸς ad corpus significandum, si eam de templo vel omni alia re potius quam de ναὸ τοῦ σώματος interpretari nobis liceret, qui tandem factum est, ut ipse Apostolus eam ita explicuerit, qui in temporis sui usu loquendi certo praesidium invenerit hujus interpretationis? Qui itaque negant, vocem ναὸς, nude positam, corpus significare, videant quomodo JOHANNIS, qui aetatis suae usum loquendi recte cognitum habuit, explicationem emendent. Quod si vero Apostoli interpretationem nostram faciamus, intelligimus, qui factum sit, ut Judaei (Matth. XXVII: 63) sciverint, JESUM praedixisse, in vitam se esse reditum. Qui a nobis dissentiunt, improprie locutum fuisse JESUM concedunt, sed quem ipsi afferunt verborum sensus plerumque difficilior est intellectu. Multas hic est LÜCKIUS, quem confer ad h. l. Aliorum sententias refutatas videas a cl. VINKE, l. l. p. 9 sqq.

40 (1). Fuerunt omnino quam plurimi, qui JESUM praedixisse reditum suum in vitam negantes, post eventum haec verba Sospitatori tribuisse Apostolos statuerent. At quomodo, quaeso, hoc probent, ipsi videant, quum diserte Evangelistae tradant, discipulos, verbis JESU auditis de morte Ejus et in vitam reditu, tristitia affectos fuisse (ἐλυπήθησαν σφόδρα, Matth. XVII: 23), neque ullo modo, quid proprie voluerit, eos intellexisse (καὶ ἦν τὸ ἕημα τοῦτο κεκρυμμένον ἀπ' αὐτῶν καὶ οὐκ ἐγίνωσκον τὰ λεγόμενα, Luc. XVIII: 34), quod igitur e sua copia item postea addiderint necesse est, at eos addidisse quis credat? Quominus JESU effata postea a discipulis alio sensu allegorico memoriae tradita esse statuamus, quod BRETSCHEIDERO, ne multos alios dicam, placere video (2), impediunt discipulorum cogitationes, Marc. IX: 10, qui verum verborum sensum non intellexerunt, συζητοῦντες τί ἐστὶ τὸ ἐκ νεκρῶν ἀναστῆναι. Praescivisse et praedixisse JESUM reditum in vitam statuimus (3); jam vero

---

(1) Cf. cl. VINKE, l. l. p. 55 sqq. Quae loco illo MATTHAEI inveniuntur verba, etsi non diserte quidem de reditu JESU in vitam agunt, vel sic tamen ad vaticinationes de resurrectione e mortuis referri debere non est quod dubitemus.

(2) Cf. ejus *Handbuch der Dogmatik*. ed. 4, I, p. 302—305.

(3) Negat hoc STRAUSSIUS, *Leb. Jesu*, II, p. 344—362, qui finxisse haec vaticinia Apostolos statuit: »wie es dem, der in die Sonne gesehen, ergeht, dass er noch längere Zeit, wo er hinsieht, ihr Bild erblickt: so sahen sie, durch ihre Begeisterung, für den neuen Messias geblendet, in dem einzigen Buche, das sie lasen, dem A. T., ihn überall, und ihre — Ueberzeugung, das Jesus der

sponte in oculos tibi incurrit, quid accidisset, si mortuus in sepulcro mansisset. Constat quidem, discipulos non exspectasse JESU reditum in vitam, mortem Ejus luxisse animumque eos defecisse, at nihilominus, quod praedixerat CHRISTUS, nisi eventu fuisset comprobatum, ab omnibus in Ejus damnum conversum fuisset. Ex dictis satis superque patet necessitas, ut ita dicam, JESU resurrectionis, nam ille, qui de se dixerat: *ἐξουσίαν ἔχω θεῖναι αὐτήν* (sc. *τὴν ψυχὴν μου*), quiq̄ affirmaverat: *καὶ ἐξουσίαν ἔχω πάλιν λαβεῖν αὐτήν* (Joh. X: 18), vere ita a mortalibus omnibus distinguebatur, quorum nemo *ταύτην τὴν ἐντολήν* accepit *παρὰ τοῦ πατρὸς*; ille, nisi in vitam rediisset, vanam speciem, nescio cujusnam, inanis gloriae jactasset. Sed reditus in vitam probavit, quae de se praedixerat, ut non amplius dubii haereamus voci obtemperare jubentis: *αὐτοῦ ἀκούετε!*

Quis jam est, quin arctissimam conjunctionem per-

---

» *Messias sei*, — *grieff nach Stützen, welche längst gebrochen sind.*»  
*u. s. w.* HASIUS, *Leb. Jesu*, § 90, ex eventu vaticinationes adauctas esse statuit, et temporis indicium, diei tertii, augmentum dicit Apostolorum. Contra hos nonnulla monuit OSIANDER in *Apologie d. Leb. J.* p. 275, qui de STRAUSSIO: » *Der Schlupfwinkel*,» inquit, » *der beliebten Hypothese einer Weissagung ex eventu ist hier dem Rationalisten versagt, da er wirklichen Erfolg nicht einräumen kann und eine Prophezeiung aus demselben eine doppelte Täuschung ware.*» NEANDER, *Leb. Jesu*, ed. 3, p. 701 sqq., quodammodo concedere videtur, nonnulla JESU effata postea demum formam accepisse vaticinationis de reditu in vitam, uti Joh. II, 19, Matth. XII: 39, 40.

spectam habeat resurrectionis JESU cum doctrina, quam de se ipse profitebatur, se dicens a peccato immunem, vitae fontem et auctorem, atque ita e sepulcro redivivum se esse proditurum? Prouti illa valet ad ipsum rite cognoscendum, ita quoque Ejus reditus in vitam vere pars est habenda doctrinae de CHRISTI persona, quatenus vitam patefecit aeternam, peccati vim frangentem. JESU in vitam reditum aufer, et simul CHRISTUM nobis aufer, qui unus cum Patre, *χαρακτήρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ*, generi humano attulit *τὴν ζωὴν* et *τὴν ἀνάστασιν*. Non recte igitur judicasse de JESU resuscitatione nobis videtur SCHLEIERMACHERUS <sup>(1)</sup>, arcissime conjunctam eam esse cum doctrina de Ejus persona negans: »*wenn doch,*» inquit, »*auf dem Sein Gottes in Christo*» *seine erlösende Wirksamkeit beruht, und eben der Eindruck davon, dass ihm ein solches einwohne, den Glauben an ihn begründete: so ist ein unmittelbarer Zusammenhang dieser Thatsachen mit jener Lehre nicht nachzuweisen*» (agit autem de reditu in vitam, ascensione in coelum et *παρουσίᾳ* CHRISTI). Quum vero in eo in primis cernatur munus JESU redemptoris, quod a peccato nos liberavit, quod vim peccati fregit, atque morte sua vitam nobis vindicavit, *φωτίσας ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν*, quaerimus: quomodo hoc perfecisset, nisi ipse a peccato et morte, tamquam poena peccati, liber, nisi ipse *ἀναμαρτήτος*? Quis vero neget, doctrinam de JESU immunitate a peccato pertinere ad doctrinam de

(1) *Der Christliche Glaube u. s. w.* II, § 99.



Ejus persona? Quid? quod gravissimam ejus partem efficit! Quod si verum est, apparet, eo nomine reditum Ejus in vitam omnino in censum venire, si quaeris: quis fuerit JESUS? prouti luce clarius apparuit, arctissimam esse conjunctionem resurrectionis Ejus cum ἀναμαρτησία. Monet SCHLEIERMACHERUS, ut sententiam suam probet, discipulos JESUM agnovisse τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, quum Ejus in vitam reditum ne suspicati quidem sunt. Cui respondemus, PETRUM professum quidem esse omnium discipulorum nomine: Κύριε, πρὸς τίνα ἀπέλευσόμεθα; ῥήματα ζωῆς αἰωνίου ἔχεις (Joh. VI: 68.) σὺ εἶ ὁ Χριστός, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος (Matth. XVI: 16); sed uti JESU in vitam reditum, sic eo tempore neque Ejus mortem suspicabantur. Omnino et PETRI et caeterorum fides procul dubio defectura fuisset, nisi illum, cui summa quaeque tribuerunt, quem mortuum ne cogitare quidem potuerunt, redivivum vidissent e sepulcro prodiisse (ἰλιώσσοι Κύριε, οὐ μὴ ἔσται σοι τοῦτο, verba erant PETRI, Dominum reprehendentis, quum hic de morte sua loqueretur, Matth. XVI: 22). Item negandum esse censemus, quod addit SCHLEIERMACHERUS, nos quoque JESUM Dei filium agnoscere, nulla ratione habita Ejus in vitam reditûs (¹). Scilicet nos numquam non cum PAULO laudes celebramus JESU CHRISTI, τοῦ ὀρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει — ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν (Rom. I: 4), quem si mortuum,

(¹) L. I. »Die Jünger erkannten in ihm den Sohn Gottes, ohne etwas von seiner Auferstehung und Himmelfahrt zu ahnden, und dasselbe können wir auch von uns sagen.»

at non resuscitatum, habuissemus, an Dei filium Eum dicturi fuisset, valde dubitamus. Aeque minus ei assentiendum est, CHRISTUM ad gloriam coelestem evchi potuisse, etiamsi in vitam non rediisset, statuenti, si salutare saltem haberet effectus mors Sospitatoris, quum et mors et reditus in vitam pars sit operis Ejus salutaris (Rom. IV: 25), quibus de peccati et morte, peccati poenâ, victoriam reportavit. Ita certe senserunt Apostoli, qui ubivis annuntiarunt, e mortuis JESUM esse resuscitatum; εἰ δὲ Χριστὸς οὐκ ἐγήγετο — κενὴ ἡ πίστις ὑμῶν (1 Cor. XV: 14.). Quanam vero fides innuitur? Ipse quondam PAULUS: πίστευσον, inquit δεσμοφύλακτι Philippensi, »ἐπὶ τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν καὶ σωθῆσθαι σὺ καὶ ὁ οἶκός σου,» et mox Evangelium ei annuntiavit (Act. XVI: 31, 32), quod in primis CHRISTI in vitam reditum fuisse, quis neget? Non recte igitur SCHLEIERMACHERUS existimat, »dass der richtige Eindruck von Christo vollständig vorhanden sein kann und auch gewesen ist, ohne eine Kunde von diesen Thatsachen,» et redemptorem nos CHRISTUM agnoscere posse, etiamsi Ejus in vitam reditûs certiores non facti essemus; erravit adeo, fidem CHRISTI resuscitationi habendam pertinere statuens »mehr zur Lehre von der Schrift — als zur Lehre von der Person Christi;» quodsi verum esset, non video, quare illam ubivis Apostoli tam strenue vindicarint, tanti fecerint, ad coelum ejus momentum evexerint; sin jure summo hoc fecerint, JESU reditum in vitam ad doctrinam de Ejus persona referendum esse statuimus.

§ 3.

*Nexus cum factis Ejus mirificis.*

Pauca addamus de conjunctione JESU in vitam reditûs cum factis Ejus mirificis. Concedimus, CHRISTUM plurima quidem patrasse miracula, ita ut dicere potuerit: τυφλοὶ ἀναβλέπουσι, καὶ χωλοὶ περιπατοῦσι, λεπροὶ καθαρίζονται, καὶ κωφοὶ ἀκούουσι, νεκροὶ ἐγείρονται, καὶ πτωχοὶ εὐαγγελίζονται (Matth. XI: 5); sed idem fecerunt Israëlitarum prophetae, idem Apostoli, quocirca hoc privum sibi propriumque CHRISTUS non habuit. Attamen uti antecedentia, quae monuimus, satis superque docuerunt, ab omnibus hominibus plane diversum fuisse JESUM, ita si mortuus in sepulcro mansisset neque in vitam rediisset, MOSI atque ELISAE, PETRO atque JOHANNI equiparandus fuisset. Miracula enim in Aegypto MOSES patravit, mortuum in vitam revocavit ELISA, verbisque PETRI: Θαβιθά ἀνάστηθι! illa auscultavit. At vero ipsi hi mortui sunt cum iis, quibus vitam reddiderant, omnesque mors atra premit. Per temporis spatium generi humano profuerunt illi; mortuos illos memoria jam colimus. CHRISTUS autem per omnia saecula vivere, salutis fons esse aeternae debuit. Non tantum Judaeis, non tantum sui temporis hominibus lux et solatium exstitit in tenebris; sed nobis etiam, iisque qui posthaec vivent, idem ille erit ἡ ζωή, felicitatis auctor. Eo amor erga aequales Eum perduxit, ut non tantum omni modo eorum saluti prospexerit, sed et mortuos in vitam revocaverit. Quis verborum

Domini non memor est: μή κλαῖε, dolentem alloquentis matrem, quae filium mortuum luxit, filium vero jubentis: νεανίσκε, σοὶ λέγω, ἐγέρθητι (Luc. VII: 11 sqq.)? Quemnam fugit CHRISTI sapientia et amor divinus, cum JAÏRI filiae vitam <sup>(1)</sup> reddidit (Marc. V: 22. Luc. VIII: 41 sqq.)? Quod si quis filium Dei adspicere velit, nil humani a se alienum putantem, gloria divina fulgentem, LAZARI adeat sepulcrum, ibique Sospitatore[m] lacrimas fundentem, precantem, in vitam amicum revocantem intueatur (Joh. XI: 11 sqq.). Egregie haec in Eum quadrant, qui vitam sibi tribuit aeternam ab ipso Patre acceptam, cujus facta mirifica aequales incitarunt et per-

---

(1) OLSHAUSENUS, *Comm.* II, p. 552, de hoc loco dicit: »Sollen wir die einfache, ganz entschiedene Erklärung Christi: »das Mägdlein ist nicht todt, sondern sie schläft,« umdeuten in den Satz: »das Mägdlein schläft nicht, sondern sie ist todt,« so gestehe ich nicht abzusehen, wie da noch von sichern Resultaten der Exegese die Rede seyn kann.« Concedimus JESUM de filia JAÏRI, quam mortuam esse putabant adstantes, dixisse: οὐκ ἀπέθανεν, ἀλλὰ καθεύδει (Luc. VIII: 52), sed idem de LAZARO mortuo dixit: κοιμηται, atque se abiturum esse monuit, ut e somno eam excitaret (Joh. XI: 11). Sed LAZARUS vere mortuus fuit, ut adeo ex verbis JESU de filia JAÏRI haudquaquam argumentum peti possit, ad probandum, eam non mortuam fuisse, praesertim quum somnus mortis imago recte habeatur (cf. Joh. XI: 14). Omnes quidem existimant, vere mortuam fuisse filiam, unde JESUS, verbis illis usus, eos de morte consolatur. Omnis ejus agendi ratio docet, minime errasse parentes et amicos defunctae, nam erroris eos non convicit, quod certo caeteroquin fecisset; LUCAS denique multis annis post de filia scripsit: ἀπέθανονεν (s. 42).

moverunt, ut fidem Ei haberent, tamquam filio Dei. Explicatu difficile jam mihi videtur, JESU fidem habuisse tot, quot nactus est, asseclas atque amicos, nisi apud eos constitisset, mortuos in vitam Eum revocare potuisse, quem e mortuis resuscitatum esse sciverunt. Illud etiam ab eo expectasse aequales, docet quodammodo Judaeorum agendi ratio, qui JESUM prope LAZARI sepulcrum viderunt lacrimantem et dixerunt: οὐκ ἠδύνατο οὗτος, ὁ ἀνοίξας τοὺς ὀφθαλμοὺς τοῦ τυφλοῦ, ποιῆσαι, ἵνα καὶ οὗτος μὴ ἀποθάνῃ (Joh. XI: 37); quanto magis nos, qui omnem ab Eo salutem expectamus, mortuo diffideremus Sospitatori, qui aliis vitam reddiderit, ipsi autem Patrem redditurum vitam sperare non potuerit, aut ab altera parte creditu difficile est, JESUM e mortuis resuscitatum mortuos ipsum in vitam revocare non potuisse. Cum Judaeis: ἄλλοις ἔσωσεν, quam plurimi dixissent, ἐαυτὸν οὐ δύναται σῶσαι. Neque est quod diffiteamur, mirum non esse, CHRISTUM, qui de se praedicavit, πάντα τοὺς ἐν τοῖς μνημείοις suam audituros esse vocem, in vitam quoque revocasse mortuos, quum his in terris versaretur; cogitari vero non posse CHRISTUM, qui non tantum mortuos in vitam revocaverit, sed omnes olim in vitam revocaturus est, ipsum mortem subiisse, neque a Patre in vitam esse revocatum. Aenigma hoc esset a nemine solvendum. At solvit illud Deus omnipotens, qui, uti in caeteris, ita quoque hac in re pulcerrimam adesse voluit harmoniam; nam *tum* fati JESU, *tum* doctrinae, *tum* factis respondere videmus JESU reditum in vitam. Quum de JESU resuscitationis veritate histori-

ca tuto jam nobis persuadere possimus, rectius intelligemus quoque ea, quae de factis Ejus mirificis, de mortuis ab Eo in vitam revocatis, traduntur. Haec enim facta arctissime conjuncta apparent cum ejus persona et cum doctrina, quam de se profitebatur <sup>(1)</sup>, quae jam melius intelligi possunt.

*Ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς* (Col. II: 9). Hoc luculenter, ni fallor, probarunt huc usque disputata de fatis, doctrina, factisque JESU CHRISTI, hoc probavit redivivus, quum e sepulcro prodiit. Quod initio hujus Capitis diximus, id jam confirmatum videmus, egregie non tantum convenire vitae CHRISTI partes inter se, verum etiam, si pars eorum, quae traduntur, deesset, claudicare caetera omnia et intelligi vix posse. Tota JESU vita eam in nobis habet vim, ut summam admirationem nobis moveat; ut Deo gratias agamus, qui in ea suas virtutes, maxime suum erga homines amorem, tamquam in speculo, intuendum nobis dederit, utque Angeli vaticinium impletum existimemus: *οὗτος ἔσται μέγας, καὶ ὄσιος ὑψίστου κληθήσεται* (Luc. I: 32).

---

(1) Recte SACK, *Polemik.* p. 196. »*Da Christus selbst als das wahre, persönliche, göttliche Wunder dasteht, und als der Herr des Lebens erwiesen ist, erscheinen Seine Wunder als natürliche Lebensäußerungen Seiner Persönlichkeit, als wahre Wunder, vollbracht aus Seinem Einssein mit Gott heraus, als Werke Seines Vaters.*»

## CAPUT II.

### NEXUS, QUI JESU IN VITAM REDITUI CUM HISTORIA APOSTOLORUM INTERCEDIT.

Prouti abrupta videtur historia JESU, si reditum Ejus in vitam negas, ita quoque, negato illo, aenigmati nobis est Apostolorum historia. Sive enim spectes eorum animi conditionem, sive fata, tantum observatur discrimen inter eorum de JESU sentiendi rationem fataque, postquam nuntium acceperant resuscitationis JESU, comparata illa cum eorum historia, tum ante Sospitatoris crucis supplicium, tum per illud temporis spatium, quo in sepulcro fuit, ut, quin majorem ullam mutationem animadverteris, jure dubites; quod si vero JESU resurrectioni eam tribuas, non amplius mira tibi videbitur. De ea igitur accuratius videamus.

#### § 1.

#### *Nexus cum mutata Apostolorum animi conditione.*

Lubenter concedimus, homines saepissime ita sibi non constare, ut, quod olim magni fecerunt, deinceps nihili faciant, quod antea verum crediderunt, ei mox omnem fidem denegent, quod olim aggredi vix ausi fuerunt, deinceps fortiter peragant. Attamen causa fere semper adest mutati animi aut consilii, et rari sunt leves isti ho-

mines, qui quotidie alia specie tibi appareant, cujus tamen mutationis nulla justa causa dari possit. Ab his omnino differunt CHRISTI Apostoli. Evangelistarum narrationes eos nobis informant ante diem post mortem JESU tertium *dubitantes, animo deficientes atque in agendo infirmos*, de morte JESUM loquentem audientes *anxii et tristes*. Paucis vero diebus post eorum observamus *inconcussam fidem, audaciam atque constantiam, animum laetum*. Digna haec sunt, quae brevi exponantur.

*Dubitabant* saepe discipuli (arctiore sensu ita dicti), non eam CHRISTO fidem habentes, qua dignus erat ille, qui tanta *σημεῖα* et *τέρατα* fecerat, quo factum est, ut illos JESUS reprehenderet, eorumque *ἀπιστίαν* culparet. Tempestate adeo exorta, maris ventorumque metuerunt furorem, licet, qui paulo ante aegrotos sanaverat, iis adesset. Querentibus: *κύριε, σῶσον ἡμᾶς, ἀπολλύμεθα*, respondet Ille, *τί δειλοί ἐστε, ὀλιγόπιστοι* (Matth. VIII: 26); *πῶς οὐκ ἔχετε πίστιν* (Marc. IV: 40). Fides eos defecisse videtur, licet paulo ante magnae hominum multitudini parvâ cibi copiâ sat edendum prae-buisset ille (Matth. XVI: 8, 9; Marc. VIII: 17, 18), ita ut *πεπωρωμένην τὴν καρδίαν* eorum reprehendat. Aegrotum sanare non potuerunt (Matth. XVII: 16; Marc. IX: 18), quia eorum fides debilis erat, nullamque in ipsis habebat vim (Matth. XVII: 19, 20), quocirca *γενέαν* eos dicit *ἄπιστον καὶ διεστραμμένην*. Dubius haerens quaesivit PETRUS, quamnam accepturus esset cum caeteris mercedem, propterea quod JESUM essent secuti (Matth. XIX: 25—27). Ideo hoc iis incul-



cavit Sospitator: ἔχετε πίστιν Θεοῦ (Marc. XI: 22), qua fieret, ut majora etiam perficere possent. Infirmum autem discipulorum animum mutatum prorsus deinceps videas, fidemque confirmatam, ita ut multa τέρατα καὶ σημεῖα facerent (Act. II: 43), aegrotos sanarent (III: 7; V: 16), fide inter se arctissime conjungerentur (IV: 32), atque summa cum fiducia loquerentur, Dei auxilium implorantes (IV: 29). Dubitationes exceperat inconcussa fides, animi haesitationem fiducia, Deo habita.

*Animo* item antea *deficiebant* atque in agendo infirmi apparebant. Audias PETRUM acriter profitentem, se minime Dominum deserturum esse, cui assentientes videmus caeteros (Matth. XXVI: 33, 35); attamen non ita diu post neque cum amico carissimo vigilare valent, neque ei succurrunt, cum vim illi inferrent. Quid? quod PETRUS ipse ter vehementer negavit, umquam se fuisse cum JESU, cognitumve Eum habuisse. Revera vix ac ne vix quidem credas, eundem illum fuisse PETRUM, qui Dominum liberare studuerat, strictoque gladio MALCHI absceiderat aurem. Sed brevis fuit animi fortitudo; quum enim captivus abducendus JESUS cohortem admonuisset, ἀφετε τοὺτους ὑπάγειν, discipulos innuens (Joh. XVIII: 8), omnes fere in fugam se conjecerunt, solum relinquentes amicum (Matth. XXVI: 56, ἀφέντες αὐτὸν, ἔφυγον. Marc. XIV: 50, coll. Luc. XXII: 49, 50). Et vel sic tamen sortem hanc praeviderant quodammodo; etenim, quum Bethaniam adire sibi proposuisset JESUS, illum reprehenderant, et de Judaeorum saevitia et furore

monuerant (Joh. XI: 8). Vere erant πρόβατα ἐν μέσῳ λύκων. Quid de illis exspectares, ubi eventu compratum esset, quod iis Dominus praedixerat: παραδώσουσι ὑμᾶς εἰς συνέδρια, καὶ ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν μαστιγώσουσιν ὑμᾶς, καὶ ἐπὶ ἡγεμόνας δὲ καὶ βασιλεῖς ἀχθήσεσθε ἕνεκεν ἐμοῦ, εἰς μαρτύριον αὐτοῖς καὶ τοῖς ἔθνεσιν (Matth. X: 17, 18)? Iterum se fuisse JESU discipulos negantes, trementes, timidos, pavidos eos deinceps fuisse putasne? Erras profecto! Namque idem ille, »quem vox ancillae terruerat, qui vivum ter in »hora abnegarat, ablatum ex oculis confitetur, celebrat »Hierosolymis apud Magistratus, coram Sacerdotibus, »nec ullis precibus abstineri, nullis jam minis absterreri »potest" (1). Qui antea in fugam se conjecerunt, postea coram pluribus hominum millibus se testes JESU professi sunt, qui, ad crucem actus atque supplicio calamitoso mulctatus erat. Quid? quod Judaeos publice accusavit PETRUS de morte ignominiosa, qua τὸν ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς vita privaverant. Licet adeo vim iis inferrent Judaeorum proceres, atque vetarent, de JESU in posterum loqui, tamen palam professi sunt PETRUS et JOHANNES, se Deo malle quam hominibus auscultare. Quae audacia, non fanatici furori equiparanda, sed hominum, probitate insignium, fortitudo dicenda! Probe sciverunt, quid facerent, atque facere eos oporteret. Et summa constantia ita de JESU testati sunt Hierosolymis, per

(1) Haec MORNAEI verba laudata videas a KOECHERO ad HUG. GROTII de Ver. Rel. Chr. librum, Annotationum p. 135.

Judaeam, Galilaeam, Samariam, extra Palaestinam, coram Judaeis et Gentilibus. Vitam parvi fecerunt, ubi CHRISTI honos celebrari posset. Miraculum hoc omnino dicendum est. Namque »aperte agunt, nihil dissimulant; circumstantias omnes” (ut recte TURRETTINUS dixit) »recensent; notant loca, notant tempora singulorum »eventuum, notant nomina personarum, notant sacerdotes, magistratus, privatos homines, eos omnes denique, quorum aliquae his in factis partes fuerant. — »Coram omnibus, Judaeis, Gentilibus, Doctoribus, »Philosophis, Magnatibus facta illa audacter promulgant; »ea memorant, inculcant, repetunt, nulla non occasione, nullis non in locis. Non metuunt, non sunt solliciti, ne sibi non credatur; res maxime miras atque »stupendas ita nude atque secure tradunt, quasi ea nemo »in controversiam vocare possit. Nullum artificium, »nulla cautio, nullae latebrae, nullae officinae in iis »omnibus deprehenduntur. Sic dicunt, sic agunt Apostoli” (1), atque ita audacter atque constanter et fortiter, ut numquam animum eos deficientem aut in agendo infirmitatem deprehendere possis. — Nec carcerem neque cruciatus metuerunt, nec mortem adeo reformidarunt, eorumque nullus, licet fortuna admodum adversa usus, licet gravissimas perpessus aerumnas, CHRISTI causam reliquit.

*Anxietatem et tristitiam* discipulorum observes, quoties, antequam mortem subierat, JESUS de ea loqueretur.

---

(1) TURRETTINI *Opera omnia*, 1, 335.

Sensim paulatimque Sospitator discipulis annuñciavit, quid futurum esset, qua tristi sorte usum ipsum morti tradituri essent Judaei, consolationem simul addens, laetum nuntium de resurrectione futura. At non intelligunt illi verum horum verborum sensum; vel inter se de eo disputant, vel eum interrogare non audent. Dominum reprehendit PETRUS, se sperare indicans fore, ut ejusmodi quid non eveniret (Matth. XVI: 22). Deinceps, cum iterum haec praediceret JESUS, a lacrimis vix abstinere possunt; *ἔλυπηθησαν σφόδρα* (XVII: 23). De Ejus reditu in vitam ne cogitant quidem; idcirco tam tristi animo sunt, postquam magister sepultus erat, nullamque spem eos habuisse constat melioris rerum conversionis (conf. quae supra <sup>(1)</sup> monuimus). At quid videmus? Intra duorum mensium spatium totus eorum animus mutatus est. Mortuum, quem in vitam rediturum esse non exspectarunt, jam Judaeis annuñciant, dicentes, *τοῦτον τὸν Ἰησοῦν ἀνέστησεν ὁ Θεός*, saepiusque, quasi magnus esset honos magnumque privilegium, diserte hoc inculcant: *οὐ πάντες ἡμεῖς ἐσμὲν μάρτυρες*. Id probare conatur PETRUS ex V. T. effato; de hac re quam plurimis eos persuadentes, omnesque *αἰνοῦντες τὸν Θεόν* videmus (Act. II: 47). Nulla tristitia impediti verba faciebant, eorumque *παρρησίαν* omnes mirabantur.

Omnino habemus quod miremur. » *Wer gab denn » denen eben noch vorhin so anders- und grobden- » kenden Fischern und Zollnern diesen neuen kunst-*

(<sup>1</sup>) p. 89 sqq.

»lichen Plan an? Wer gab ihnen solchen jetzt zur  
 »ungeschicktesten Zeit an, da sie mit einem an 's  
 »Kreuz gehängten, unter Schmach und Abscheu ge-  
 »storbenen Messias zum Vorschein kamen, und da-  
 »mit selbst zum Spott und Abscheu werden mussten?»

Ita HERDERUS (1). Et revera fidem animadvertimus in-  
 concussam, audaciam et constantiam, laetumque animum  
 eorum, qui brevi antea dubitantes, animo deficientes  
 atque in agendo infirmi, de morte sua JESUM loquentem  
 audientes anxii tristesque fuerant. Haec mutatio tam  
 subito obtinuit, ut neque fanatico errori, qui tempo-  
 ris demum lapsu variisque rebus adjunctis oriri solet,  
 neque studio emolumentum, honores aut assecularum  
 magnam copiam assequendi eam tribuere possimus. Nul-  
 lam, nisi JESU resurrectionem e mortuis dicas, cau-  
 sam invenies. Prouti enim haec valuit ad CHRISTI auc-  
 toritatem comprobendam, ad fidem ipsi habendam stabi-  
 liendam, ita, quem ante mortem nondum recte cogno-  
 verant, post reditum in vitam divinum non tantum  
 legatum, sed Dei adeo filium agnoverunt. Hoc eo magis  
 animum iis reddidit, quo tristiores post mortem Domini  
 fuerant; et quo certius apud eos de veritate JESU, re-  
 surrectionis constitit, eo firmiter atque constantius evasit  
 studium, aliis de hac re persuadendi et ad CHRISTUM  
 caeteros adducendi. Quidquid iis accideret, memores  
 verborum Domini erant, cum iis valedicens dixisset:  
 ειρήνην ἀφίημι ὑμῖν, ειρήνην τὴν ἐμὴν δίδωμι ὑμῖν, οὐ

(1) L. I. IV: 18.

καθώς ὁ κόσμος δίδωσιν, ἐγὼ δίδωμι ὑμῖν· μὴ ταρασέσθω ὑμῶν ἡ καρδία, μηδὲ δειλιάτω (Joh. XIV: 27); memores verborum Domini erant, quum promissis steterit miseritque Spiritum S. (cf. XVI: 7), de quo JESUS dixerat: ὁδογήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, οὐ γὰρ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ, ἀλλ' ὅσα ἂν ἀκούσῃ, λαλήσει (s. 13). Ne disputatio nostra terminos excedat, haec multis exponere non licet, at sponte in oculos incurrit, aenigmati nobis esse Apostolorum de JESU sentiendi, et eorum agendi rationem ante JESU mortem et post reditum in vitam, si hunc negas; auferas igitur potius historiam, quae mirabilia et *δυσνόητα* nobis tradat, nullo modo solvenda; quae simplices et incultos homines sensisse et egisse narret, eorumque mutationem describit animorum, sublatâ et causâ ejus et opportunitate. Atque idem valet de fatiis Apostolorum.

§ 2.

*Nexus cum Apostolorum fatiis post JESU  
in coelum ascensionem.*

Observatu dignum est, Apostolos tantum assecularum numerum nactos esse cum Hierosolymis, tum in Palaestina, quum palam ubivis professi sunt, JESUM Nazarenum, a Judaeis ad crucem actum, in vitam e mortuis rediisse; simul vero attendendum est ad modum, quo caeteri, qui non cum iis facerent, Senatus in primis, Pharisaei et Sadducaeii hanc redivivi annunciationem acceperint. Utrumque explicatu difficile erit, si JESUM

neges in vitam rediisse, nec facile furorem, infirmitatem et invidiam imbecillam inimicorum intelliges. Quid fecerint Judaeorum Senatores, audito illo: »JESUS resuscitatus est,» supra <sup>(1)</sup> vidimus. Minime illud negarunt, licet fabulam et vagum rumore totam rem esse probare potuissent. Attamen captivos abduxerunt Apostolos. Quemnam igitur errorem hi commiserunt? Si enim rem in facto positam hominibus annunciassent, caeterum pacis amantes, novarum rerum studio non ducti fuissent, illatae vis nulla justa dari potest causa. At insontes erant, nullius criminis rei, quum continuo liberos eos dimiserint Judaeorum proceres; hoc unum tantum noluerunt isti admittere, annunciationem nempe redivivi CHRISTI. Hac in re autem differebant a discipulis, qui hoc unum missum facere noluerunt, tacere de redivivo recusarunt. Inde novae persecutiones, iterata captivitas, vincula, nova denuo captivorum dimissio. Qua in re hoc prae caeteris mirum nobis videatur. JESUM, dum in vivis erat, aggredi non ausi sunt Judaei festo Paschatis, metuentes, ne ipsi populares se iis opponerent (Matth. XXVI: 5), seditionem moventes, et saepius vim CHRISTO inferre non veriti fuissent, nisi magnam hominum turbam ei faventem et auscultantem vidissent. Apostolos vero, quum claudum sanassent hominem, et ad populum verba facerent in medio templo, magna adstante corona, captivos abduxerunt Sacerdotes, praefectus templi et Sadducaeii, διαπονούμενοι διὰ τὸ

---

(1) p. 93 sqq.

*διδάσκειν αὐτοὺς τὸν λαόν, καὶ καταγγέλλειν ἐν τῷ Ἰησοῦ τὴν ἀνάστασιν τὴν ἐκ νεκρῶν* (Act. IV: 1 sqq.). Haec duo jam animadvertas, quaeso. Nonne verosimile est, Sacerdotes periculum existimasse in mora, propterea quod vim inferrent discipulis JESU, licet ingens multitudo (quinque millia virorum memorantur, s. 4) illis faveret? Mihi saltem ita visum est. Quod si vero mortuus in sepulcro JESUS mansisset, quod numquam posuerunt isti aut affirmare ausi sunt, non video, quare tantopere ejus discipulos vexarint Sacerdotes, quum tale mendacium sponte falsum apparuisset. Causa quaeri non potest in eo, quod populum docuerint; divinam enim doctrinam tradere unicuique licitum erat. Estne fortasse causa quaerenda in eo, quod annuntiarint ἐν τῷ Ἰησοῦ τὴν ἀνάστασιν τὴν ἐκ νεκρῶν (s. 2)? Nullum, ni fallor, dubium exstat, quin hanc ipsam ob causam adfuerint Sadducaei, estque hoc alterum quod animadvertas velim. Etenim patet ex Evangeliorum narrationibus, acerrimos JESU inimicos fuisse Pharisaeos, Sacerdotes legisque peritos, quibus valde displicuit JESU agendi ratio, in eo praesertim perversa (ut isti dicebant), quod populum a doctoribus abduceret et ad se traheret, quo non potuit non auctoritas eorum diminui. Praeterea odiosus erat Pharisaeis, quia horum vitia et crimina palam reprehendit. Quod autem attinet ad Sadducaeos, hi non ita populum curabant, sed unice doctrinam JESU de ἀνάστασει mortuorum aegre ferebant, quocirca placide et nugatorie cum eo disputabant (cf. Luc. XX: 27 sqq.), eos vero Dominum odio persecutos esse, prouti Phari-



saei, memoriae non traditum est. Sed mutata est eorum agendi ratio, JESU mortuo. Non refutant Apostolos, sed captivos abducunt, quo valido argumento in posterum quoque usi sunt (cf. Act. V: 17, 18). Quidni potius cum iis disputarunt, victoriam sine dubio reportaturi, cum de eorum magistro, qui tanta de mortuorum resurrectione praedicaverat, sibi que eam tribuerat, at ipse mortuus quoque jacebat, certe risissent. Sed nihil ejusmodi. Nihil habuerunt, quod opponerent, atque igitur, uti homines solent, quibus ita silentium imponitur, adversarios convitiis et injuriis petunt, aut vi et armis tacere cogunt. Prouti autem Sacerdotes de JESU in vitam reditu sibi persuasisse videntur, ita quoque, uti patet, Sadducaei. At vero quomodo haec jun-genda fuissent placita: non est resurrectio mortuorum, ab altera parte; ab altera: JESUS *mortuus* in vitam rediit. Priorem partem missam facere noluerunt, alteram igitur negare debuissent. Sed res in facto posita negari non potest, atque igitur nihil facere potuerunt, quam discipulos impedire, quominus cum aliis historiam illam communicarent. Postea quoque serio rem tractasse videntur, quum de PAULO Apostolo ageretur (cf. Act. XXIII: 6, sqq.). Ita modus, quo Apostolis se opposuerunt adversarii, quo illos hi persecuti sunt, et doctrinae de redivivo annunciationem prohibere studuerunt, nullo modo intelligi potest, nisi statuas, vere in vitam rediisse CHRISTUM. Ita in eo hujus rei momentum tibi appareat, quod jam Apostolis rem fuisse cum adversariis pateat, qui voluerunt quidem, at nullo modo,

uti historia docet, negare potuerunt, e mortuis JESUM resuscitatum esse.

Quae cum ita sint, patet, cum mutata Apostolorum animi conditione fatisque arctissime junctam esse vitam JESU, et partem ejus gravissimam fere, reditum in vitam. Hic tantam in ipsis habuit vim, ut eorum historia tum deum rite exponi possit, ubi CHRISTUM resuscitatum esse concesseris. Quod si eam neges, quî, quaeso, simplices homines, caeteroquin ejusmodi quid non excogituros, condidisse Ecclesiam Christianam tibi verisimile videatur?

---

### CAPUT III.

NEXUS, QUI JESU IN VITAM REDITUI CUM FATIS ECCLESIAE CHRISTIANAE PRIMAENAE INTERCEDIT.

»*Das Christenthum ist siegreich eingeführt und die Kirche gegründet worden über dem Grabe des Auferstandenen.*» Quod rectissime HASIUS <sup>(1)</sup>. Etenim JESUM in vitam rediisse testatur historia, et vere conditam esse Ecclesiam Christianam nobis tradit. Licet prius quidem negent nonnulli, hoc tamen ille tantum negabit, qui solem nobis lucem afferre infitias ire audet. Videant igitur, ut difficultates removeant, qui, adesse Ecclesiam concedentes, negant e mortuis JESUM resuscitatum esse.

---

(1) *Leben Jesu*, § 125, p. 217.

tatum esse; nam quum e JESU resurrectione pendeat Ecclesia Christiana, haec, negata illa, aenigmati nobis erit, ejusque originem frustra explicare conabimur. Spectes eam vel conditam inter Judaeos, vel propagatam inter Gentiles, certe numquam ea sorte usa fuisset, si auctorem habuisset JESUM *cruci affixum*, e mortuis *non resuscitatum*. Itaque Ejus in vitam reditûs momentum in eo quoque apparet, quod, illo vindicato, Ecclesiae Christianae primaevae fata explicare possimus.

§ 1.

*Nexus cum Ecclesiae Christianae origine  
inter Judaeos.*

Religio Mosaïca, divinitus instaurata, omnibus temporibus accommodata Judaeis videbatur, eandemque semper habitura esse auctoritatem, quam olim MOSI, omnium prophetarum summo, tribuerant Israëlitae. Visua eam privarunt, qui captivum abduxerant populum, in pristinum vero statum eam restituerunt, qui libertatem populi vindicarunt. Arcissime enim conjuncta erat religio Judaeorum cum prospera populi conditione, ita ut, illa sublata, haec defloresceret. Templum Hierosolymitanum, JEHOVAE palatium, ritus sacros, dies festos habebat populus, numquam non colendos, et qui haec mutare conaretur, impius ei videbatur. Quum vero Romanis subessent, gloriae sua destitutus videretur cultus Mosaïcus, Messiae, quem regem expectabant terrestrem, gloriosum, invictum, tribuebant religionis li-

bertatisque instaurationem, morumque emendationem, ut nova gloria, novo honore sacra proavorum fulgerent, quo respicere videntur ZACHARIAE verba: τοῦ δοῦναι ἡμῖν ἀφόβως, ἐκ χειρὸς τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν ἑυσθέντας, λατρεύειν αὐτῷ (Luc. I: 73, sq.) (1). Quid? quod execratus videbatur, quicumque vim inferre sancto templi aedificio ausus erat. Exemplo nobis sit, ne de JESU dicamus, STEPHANUS, quem lapidibus percusserunt propterea quod negavit, templum habitare ἹΕΡΟΥΣΑΛΗΜ, quodque accusavit Judaeos impietatis et improbitatis, quippe qui legem acceperant, praesentibus Angelorum agminibus, et vel sic tamen ab ea discesserant (Act. VII: 48 sq. 53, 54). Hanc injuriam ferre non potuerunt, quod patet ex falsorum testium criminatione, qua hoc crimen ei fecerunt: ὁ ἄνθρωπος οὗτος οὐ παύεται ῥήματα [βλάσφημα] λαλῶν κατὰ τοῦ τόπου τοῦ ἁγίου τούτου καὶ τοῦ νόμου· ἀκηκόαμεν γὰρ αὐτοῦ λέγοντος, ὅτι Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖος οὗτος καταλύσει τὸν τόπον τούτον, καὶ ἀλλάξει τὰ ἔθνη, ἃ παρέδωκεν ἡμῖν Μωϋσῆς (Act. VI: 13, 14). Ex eo, quod falso eum criminati sunt, sequi videtur, STEPHANUM his *verbis* non usum esse; simul vero ex iis patet, tum nemini licuisse, verbis templum vel legem laedere, tum longe aliud Judaeos expectasse quam cultus vel morum conversionem.

Inter hos jam exstitit nova religio, quae abrogavit cultum Mosaicum; exstitit Ecclesia Christiana, quae instituta Mosaïca vim suam amisisse quam luculentissime

(1) Cf. BERTHOLDT, *Christologia Judaeorum*, § 31.

probavit, iisque se opposuit; exstitit hominum societas, quae legem, a MOSE traditam, antiquatam dixit, omnibusque aditum patere ad Deum Patrem statuit. Multi, cum ex magnatibus, tum ex infima plebe, omnibusque hominum ordinibus ei faverunt, licet ab ignobili conderetur turba. Quid vero praedicarunt ejus socii? JESUM scilicet Nazarenum, quem Judaei ad crucem egissent, Dei esse filium, Messiam a patribus exoptatum; μετανοήσατε, ita PETRUM audimus loquentem, και βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν· και λήψετε τὴν δωρεάν τοῦ ἁγίου πνεύματος· ὑμῖν γάρ ἐστιν ἡ ἐπαγγελία — και πᾶσι τοῖς εἰς μακρὰν, ὅσους ἂν προσκαλέσῃται Κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν (Act. II: 38, 39). Inaudita haec erant Judaeis, legi Mosaïcae minime convenientia, quae sacrificia ritusque externos praescrpsit. Fidem postulabant Apostoli, JESU habendam. At qualis fuit homo, cujus nomen celebrari audiebant Judaei? Impius ab illorum principibus habitus, publice ignominioso crucis supplicio damnatus, qui turpi morte e vita discesserat. Hunc infamia pressit, hujus nomen execratum fuit. Judaei enim turpissimum dixerunt crucis supplicium, et lex Mosaïca hoc dederat mandatum: cadaver improbi hominis, mortis poena multati et patibulo suspensi, ante noctem esse sepeliendum, nam suspensum Deus execratur; sic ne terram sacram profanam redderent, caverent (Deut. XXI: 23, Gal. III: 13). Incrediblem videtur res, quam historia nobis tradidit! Pluria hominum millia, Judaeorum, inter quos erant Pharisei et principes eorum haud pauci, fidem habue-

runt illi, quem per multa deinceps saecula eorum populares contumeliose dixerunt תלי, *suspensum*; ecclesia, quae a suspenso nomen habet, condita est inter illos, qui Ecclesiae auctorem cruci affixerunt. Quis haec fieri potuisse credat, nisi, ut haec explicet, sciat, hunc JESUM, minime contumelia fuisse notatum, et de eo luculenter Deum esse testatum? Scilicet, hoc rei nostrae momentum est, ut JESU in vitam reditus omnibus palam significet, Deum insontem declarasse, quem isti damnaverant; Deum honorasse, quem isti calumniati erant; JEHOVAM amare, cui maledixerant Judaei. Judicium, quod constituerat Senatus populusque Judaeus, Deo displicuit; publice significavit JEHOVA, se illud neque approbasse nec ratum habuisse. Ideo errasse iudices, et injuria JESUM affecisse magnates, Eumque insontem fuisse, viderunt Judaei. Ideo plura eorum millia Eum salutis aeternae habuere fontem et auctorem. Neges jam JESU e mortuis resuscitationem; sed explices, quaeso, originem Ecclesiae Christianae inter Judaeos; illâ verâ habitâ, haec intelligi potest. Neque hoc tantum, sed inde sequitur, ipsos Judaeos non potuisse non Messiam habere Dei filium, cujus honorem vindicatum, cujus gloriam Deum tuitum esse viderant. Caeteroquin, quod de Apostolis HERDERUS dixit: »*Welch ein unsinniger Plan, dass diese eilf Galiläer zu Jerusalem vor der versammelten Nation das Reich eines Messias ankündigen und anrichten wollen, der vor wenigen Tagen als ein Uebelthäter den schimpflichsten Tod, den man*

»nur Knechten und Verworfenen anthat, gestorben »war (1),» idem nos de Judaeis dicimus, qui mente caruisse videntur, fidem habentes mortuo, ab ipsis damnato, improbo. Sed quod inceperat Paschatis festum, confirmavit illud et illustravit Pentecostis festum. Nominine redivivi e sepulcro τὸν παράκλητον misit Pater, cujus vim et effectus coram oculis habuerunt Judaei; sic horum agendi rationem, quam fidem CHRISTO haberent, res nostra egregie illustrat, ejusque momentum luce clarius apparet.

Ecquis, negato JESU reditu in vitam, nobis explicet PAULI Apostoli agendi rationem? Erat ille discipulus GALMALIËLIS, probi et venerandi Pharisei, παιδευόμενος, ut ipse profitetur, κατὰ ἀκρίβειαν τοῦ πατρῶου νόμου, ζηλωτῆς ὑπάρχων τοῦ Θεοῦ. Hic, si quis alius, MOSIS instituta colebat, JESU redivivi sectatores persequebatur, ita ut in honore esset apud Senatum Sacerdotesque Judaeorum (Act. XXII: 3 sq.). Nec mirum. Omnibus enim nota erat veritas eorum, quae de se ipse affirmavit: προέκοπτον ἐν τῷ Ἰουδαϊσμῷ ὑπὲρ πολλοὺς συνηλικιώτας ἐν τῷ γένει μου, περισσωτέρως ζηλωτῆς ὑπάρχων τῶν πατρικῶν μου παραδόσεων (Gal. I: 14). Studio ducebatur Dei gloriam provehendi, minime vero sibi emolumentum aliquid inde capiendi, quocirca Deo gratias egit, quod Eum coluisset ἀπὸ προγόνων ἐν καθαρᾷ συνειδήσει (2 Tim. I: 3, coll. Act. XXIII: 1), atque coram rege AGRIPPA dixit:

(1) L. I. IV, 13.

ὅτι κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν τῆς ἡμετέρας θρησκείας  
ἔζησα φαρισαῖος (Act. XXVI: 5). Hunc <sup>(1)</sup> videmus,  
praejudicatis sane opinionibus minime ductum, Christianis  
faventem, postquam subito in itinere Damasceno ad  
CHRISTUM conversus erat; hunc per multos annos vul-  
nera, carcerem, vincula, pericula varii generis, mortem  
denique minime extimescentem, ut CHRISTUM cruci af-  
fixum, e mortuis resuscitatum, omnibus annuntiaret,  
CHRISTUM, Ἰουδαίοις σκάνδαλον, at ipse Judaeus! Quod  
ipsi ignominiosum visum erat, quippe Judaco, mox glo-  
riosum summumque bonum habuit. Statuant adversarii,  
PAULUM Evangelium CHRISTI annunciaturum fuisse, licet  
non probe convictus fuerit firmissimi ejus fundamenti,  
JESU e mortuis resuscitationis. At nobis minime verosimile  
videtur, fabulam, narrationem commentitiam in PAULO  
eam habuisse vim, ut a MOSE descisceret, CHRISTO totum  
se traderet, ut proavorum cultum abrogatum diceret,  
Ecclesiae Christianae praece, columna evaderet, ut  
Judaeis, qui CHRISTUM rejicerent, se opponeret, secta-  
toribus mortui ac non redivivi, σκάνδαλον istius Ju-  
daeorum, annumerari vellet. Num revera credis tu,  
qui JESU resurrectionem negas, Judacum doctum, pium  
et religiosum, sine ulla causa idonea, MOSI, omnium maxi-  
mo prophetarum, praetulisse hominem, supplicio mortis

(<sup>1</sup>) Quae legatur dignissima est erudita THOLUCKII disputatio: *Einkl. Bemerk. in d. Studium der Paul. Briefe, die Lebensumstände, den Character u. s. w. d. Apostels betreffend*, quae occurrit in *Ejus Verm. Schriften*, II, 272 sqq.



punitum et a Deo non resuscitatum? Credat Judaeus Apella. Praeterea recte ULLMANNUS: »*Der Apostel Paulus,*» inquit, »*sonst ein Bild innerer Lebenseinheit und geistiger Grösse, wird zum vollkommensten Widerspruche, er wird eine ganz räthselhafte, haltungslose Erscheinung, wenn wir ihm den eigentlichen Schwerpunkt und die Basis seines Lebens, die Wahrheit der Evangelischen Geschichte, unter den Füßen weg ziehen* (1).» Primarium autem historiae JESU locum PAULO visam esse resuscitationem Ejus e mortuis, morte JESU excepta, quis neget, qui vel semel et orationes et ejus Epistolas inspexerit?

Profecto miraculum mundi physici habenda est JESU e mortuis resuscitatio; sed multo majus mundi moralis et psychici miraculum mihi videtur, si ipsi Judaei Messiam agnovissent illum, quem infamiâ notatum viderant, a JEHOVA repudiatum, cruci affixum. »*Das war in der That kein angemessener Schluss für ein messianisches Leben, für das Leben eines Gottgesandten, am wenigsten im Sinne derer, die Jesum zunächst umgaben,*» Hoc, quod observavit ULLMANNUS (2), Judaeos non fugisset, in primis si iis obtrusissent Messiam Apostoli, qualem STRAUSSIVS nobis obtrusit, ne uno quidem nomine dignum, qui MOSI aequipararetur. Nam neque Ejus persona, neque fata, neque doctrina, neque facta aliquid tum habuerunt, quod extraordinarium

(1) Cf. *Historisch oder Mythisch*, p. 64.

(2) L. l. p. 29.

aut divinum redoluerit, neque JESUM auctorem fuisse Ecclesiae Christianae inter Judaeos, multo minus Gentilibus acceptum, explicare poteris, nisi in vitam Eum rediisse concedas.

§ 2.

*Nexus cum Ecclesiae Christianae propagatione inter alienigenas.*

Orta inter Judaeos Ecclesia Christiana, stabilita est inter alienigenas, quod mirum omnino videatur. Primum enim miramur, Gentiles sacra Christiana a Judaeis accepisse, quos contemnebant odioque habebant, quia separata a caeteris populis erat natio, atque unum Deum colens, caeterorum Polytheïsmo vehementer se opponebat. Christiani e Gentilibus, si CHRISTO nomen dare vellent, Deos suos missos facere debuerunt, quo factum est, ut transitus ad Christianos alienigenis difficilior sane fuerit, quam Judaeis. Nam et hi JEHOVAM, Deum ABRAHAMI, ISAËCI et JACOBI, Deum agnoverunt eundemque Patrem JESU CHRISTI; nulla vero concordia erat et conjunctio inter JOVEM et JEHOVAM, nulla inter consociationem Olympi et Deum omnipotentem, coeli terraeque Creatorem, Christianorum. Deinde hoc animadvertendum est: Deos in terram abduxerant homines ante CHRISTI adventum, Deus vero per CHRISTUM in coelum sustulit hominem. Itaque omnia mutata erant, omnemque rerum naturam, quam Diis suis habitandam dederant poëtae Gentiles, relictam ab iis et desertam ne-

cessario vidit Polytheïsta, qui praeterita tempora non dolere non potuerit. Illis enim necessitatem et familiaritatem, inter homines Deosque intercedentem, non interruperant JESU CHRISTI praecones. Verbis usos summi Germanorum poëtae querentes eos audimus:

- »Unbewusst der Freuden, die sie schenket,
- »Nie entzückt von ihrer Herrlichkeit,
- »Nie gewahr des Geistes, der sie lenket,
- »Selger nie durch meine Seligkeit,
- »Fühllos selbst für ihres Künstlers Ehre,
- »Gleich dem todten Schlag der Pendeluhr,
- »Dient sie knechtisch dem Gesetz der Schwere —
- »Die entgötterte Natur.“

Phantasiam in primis Graecorum, gentis poëseos nutriticis artiumque magistrac, ipsa haec Polytheïstica religio nutrierat, sensusque voluptate permulserat, ita ut nonnumquam ille respiceret ad cultum abrogatum, ad templaque diruta, cui nondum placuerat sententia: πνεῦμα ὁ Θεός· καὶ τοὺς προσκυνοῦντας αὐτὸν, ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ δεῖ προσκυνεῖν· — οὐκ ἐν χειροποιήτοις ναοῖς κατοικεῖ. Tristem hujus querelam audiit Olympus:

- »Ach, da euer Wonmediens noch glänzte
- »Wie ganz anders, anders war es da!
- »Da man deine Tempel noch bekränzte,
- »Venus Amathusia!“

Accedit, quod fides postulabatur JESU habenda, homini Judaeo, quem Judaei cruci affixerant, quem et ipsi Gentiles morte punivisse sibi videbantur, iudicium quippe latum videntes a Procuratore Romano. Qualis autem

poena? Scilicet, quae a servis sumebatur, et omnium contumeliosissima habebatur, supplicium crudelissimum et teterrimum, quod infamiam se comitantem habebat <sup>(1)</sup>. Coniunctae hae difficultates valde impediverint Ecclesiae Christianae propagationem necesse est. Praeterea philosopha gens prae caeteris erant Graeci, qui non miracula quaerebant, uti Iudaei; Ἰουδαῖοι σημεῖον αἰτούσι καὶ Ἕλληνες σοφίαν ζητοῦσιν; vere ita PAULUS (1 Cor. I: 22), quum neque miraculis scateret horum Mythologia, neque a Christianis ea peterent. Sed ad dialecticam rerum expositionem attendebant, nonnumquam rem prae forma missam facientes. Syllogismos artesque rhetorum amabant. Sed simplex erat CHRISTI doctrina, Evangelii annuntiatio, οὐκ ἐν σοφίᾳ λόγου, ἵνα μὴ κενωθῇ ὁ σταυρὸς τοῦ Χριστοῦ. Illam auditam irrisione luserunt; CHRISTI nuntium audierunt quidem, sed dubitantes plures dixerunt: τί ἂν θέλοι ὁ περιμολόγος οὗτος λέγειν; aut non intelligentibus ξένων δαιμονίων καταγγελέως ille videbatur, qui CHRISTUM et resurrectionem mortuorum praedicabat (Act. XVII: 18, 32). Illis, qui aut res intelligere et demonstrari cupiebant, aut de iis dubitabant, non placuit Evangelium, quod *fidem* postulat; imo resurrectionem mortuorum, quam ratio humana non capit, irridentes, Apostolo PAULO nonnulli dixerunt: ἀκουσόμεθά σου πάλιν περὶ τούτου. Sed quod illi deriserunt, maximi habendum erat, quum multo magis fluctuans eorum ac vaga philosophia irrisioni esset tradenda.

(1) Cf. WINER, *Real-Wörterbuch*, v. *Kreuzigung*, I, p. 300.

Quibus perpensis, quis verosimile esse existimat, hominibus gratam fuisse religionem, quae docet πάντας ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι, quum ipsi de peccatis suis non cogitarent, ideoque malo medicinam afferre non studerent? Sin Sospitatore[m] quaesiverint, quî tandem Eum agnovissent hominem, qui reus mortuus videretur; quo modo a peccati imperio Dei filius liber, aliosque liberaturus videretur, qui crucis ipse mortem subiisset? Hanc ob causam Χριστὸν ἑσταυρωμένον, Servatorem, qui, propter crucis supplicium contumeliosum, minime auctor vitae salutisque aeternae videri posset, μωρίαν habuerunt Graeci, et Ecclesiae Christianae sociis se adscribi numquam certe passi fuissent, nisi adfuisset causa, qua JESUS crucifixus, fidem ei habentibus, visus sit Θεοῦ δύναμις καὶ Θεοῦ σοφία — (1 Cor. I: 23, 24).

Aderat illa. In vitam rediisse JESUM aeque certum est, atque Ecclesiam Christianam propagatam esse inter Graecos, Romanos, caeterosque Gentiles. Quum hoc incredibile videatur, negata JESU resurrectione, jam omnes difficultates superasse *redivivi* annuntiationem sponte patet. Eo enim valuit JESU reditus in vitam, ut comprobaret, Eum esse τὴν ζωὴν, τὴν ἀνάστασιν, quam si negarent Gentiles, exemplo Sospitatoris, re in facto posita, redarguere eos potuerunt Christiani, et quicumque emendationis moralis studiosus erat, sponte fiduciam reponebat in CHRISTO, e mortuis resuscitato. Non infamiae nota amplius premebatur; crucis signum a sepulcro vacuo gloriam et honorem acceperat, et qualem numquam viderant antea, philosophum vel doctorem celeberrimum

post mortem superstitem, nisi memoria coleretur, talem jam ante oculos habuerunt sapientissimum, sanctissimum, divinum heroem, victorem peccati mortisque, qui mortuus in vitam rediit, cujus verbis factisque Deus sigillum quasi impressit. Omnes igitur, si eos, qui *a priori*, μή εἶναι ἀνάστασιν statuerent, excipias, quotquot peccata doluerunt, Deosque suos fictitios esse viderunt, et humanam sapientiam vanam esse et mancam atque imperfectam agnoverunt, socii Ecclesiae Christianae esse malebant, quam Polytheismo, sensui religioso minime satisfaciendi, favere. »*Der griechische Glaube war eine Religion für Glückliche, für das Unglück hatte er weder Trost noch Kraft.*» Recte ita HASIUS <sup>(1)</sup>. Illis solatium attulit redivivus JESUS. Romani rempublicam seu imperium perire cum religione putarunt; utraque redivivo e sepulcro cessit Sospitatori. Aufer JESU in vitam resurrectionem, et frustra propagationem Ecclesiae Christianae inter Gentiles explicare conaberis. Utraque enim arctissime est conjuncta, a se invicem divelli nequit; nam sublata priore cadit haec, prouti catena e loco superiore pendens in humum concidet, fracto supremo ejus annulo. Sublatâ causâ, quî tandem, quaeso, explices effectum?

»*Man erwäge es vollständiger: ein gekreuzigter Jude stiftet die Christliche Kirche.*» Summo jure ULLMANNUS <sup>(2)</sup> hoc inculcavit, et supra disputata jam

---

<sup>(1)</sup> *Kirchengeschichte*, § 23.

<sup>(2)</sup> Egregie summus ille vir exposuit, quî tandem *homo cruci*

satis superque docuerunt, mente aliquid esse cogitandum inter Ecclesiae Christianae originem et propagationem, atque mortem JESU. Mortuus Ecclesiam condere non potuit. Mortuis PYTHAGORA, SOCRATE, PLATONE, ARISTOTELE, eorum quidem discipuli placita exposuerunt, amplificaverunt, ut philosophi dicerentur *Pythagoraei*, *Academici*, *Peripatetici*, sed inter se non conjuncti erant *Academici* aut *Peripatetici*; societas inde non exstitit, multo minus Ecclesia, ritibus, legibus, interno quodam vinculo conjuncta ac stabilita. Horum philosophorum alter emendare alterius placita studuit; ex SOCRATIS schola celeberrimi prodierunt magistri, qui iterum aliis nomen dabant; verum ad unum omnes perierunt. Alius generis MOSES erat, vir summus, legatus divinus, qui populo leges, instituta, religionem dederat; at vero Deus per MOSEM populum Israëliticum instituerat, eoque mortuo, stetit religio Judaïca monotheïstica, quia JEHOVA populi rex mansit, atque lex Mosaïca minime cum ipsa MOSES persona erat conjuncta. Qui MOSEM vidit, audiit, secutus est, minime JEHOVAM vidit, audiit, secutus est; nam, licet legatus divinus esset, homo tamen ille mansit, peccato obnoxius, qui errare potuit, *per* quem JEHOVA Judaeis se patefecerat quidem, *in* cujus tamen persona nequaquam cernebatur patefactio divina. Neque volun-

---

*affixus Ecclesiam condere potuerit*, in disputatione: *Was setzt die Stiftung der Christliche Kirche durch einem Gekreuzigten voraus?* edita in libello: *Hist. oder Mythisch*, p. 3—40, ubi nullam rationem habuit eorum, quae de JESU Evangelistae tradunt.

tate neque potestate cum Deo se unum esse, MOSES profiteri ausus fuisset.

Non ita CHRISTUS. Prouti STRAUSSIVS vitam JESU exposuit, non intelligimus, quò vel per septem dierum spatium exstitisset ab eo condita societas. Mors enim omnia, quae ad eam stabiliendam fecisset, certo delivisset. Ecclesia Christiana fundamenti loco non habet nec habere potest sepulcrum cadavere impletum; fundamentum habet et habere debet sepulcrum, corpore vacuum, vel ipsum potius redivivum CHRISTUM. Qui hoc negat, cum STRAUSSIO probare conetur, quod ULLMANNUS monuit: »*dass in der Geschichte aus Nichts nicht »nur Etwas, sondern etwas ganz Ungeheures, eine »welthistorische Macht werden könne;*»<sup>(1)</sup> probare conetur, Ecclesiam primum fixisse conditorem, hunc vero deinde condidisse Ecclesiam. Sed quid excogitari potest, quod totum terrarum orbem commovere, mutare, emendare, nova vita donare potuisset? Num visiones, ficta narratio sive piae fraudi originem illa debuerit, seu de industria excogitata fuerit, hanc vim habitura fuisset? Undenam vis illa vitalis et *ἐνεργεία*, quae per XVIII saecula innumeros homines, populos, novâ vitâ donavit, undenam repetendum, quod, postquam JESUS CHRISTUS his in ter-

---

<sup>(1)</sup> L. I. pag. 71; cf. THOLUCK, *Glaubw. d. Ev. Gesch.* p. 373 sqq., qui acute exposuit: »*dass die Geschichte der ersten Kirche »eine Kette ist, welche, wenn wir sie elektrisch bewegt sehen, »darauf hindeutet, dass am Anfange ein Schlag vom Himmel auf »die Erde gefallen sein muss.*»



ris vixerit, novum aevum inceperit, ita ut generis humani historia in duas partes divisa sit? Unice hoc repetas ex CHRISTI persona, ex mundi Sospitatore, qui solis instar fulget ac splendet in media historia, in mediis hominibus, ut luna inter stellas minores. Ejus in vitam reditus haec omnia explicat et illustrat. Negasne JESUM in vitam rediisse? Quis igitur instituit diem solis, quo convenient omnes Christiani, ut Dei Filiique laudes celebrent, precisque fundant, quod non nostris temporibus constitutum est, sed a JUSTINO *Martyre* jam traditur: τὴν γὰρ τοῦ ἡλίου ἡμέραν κοινῇ πάντες τοῖς συνέλθουσιν ποιούμεθα, ἐπειδὴ πρώτη ἐστὶν ἡ ἡμέρα — καὶ Ἰησοῦς Χρῖστος ὁ ἡμέτερος σωτὴρ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἐκ νεκρῶν ἀνέστη <sup>(1)</sup>. Ejus aequales a proavis hoc acceperant, Apostolos imitatis. Septimus enim dies ab antiquissimo inde tempore Deo sacer a Judaeis habebatur. Undenam repetendum, quod Ecclesia Christiana festum Paschatis CHRISTO consecraverit, e mortuis resuscitato? Quod si non in vitam rediisset, non dubito, quin lugentes potius quam festum celebrantes mortui magistri memoriam coluissent, et si vel demus, Apostolos Paschatis festum instituisse propter visiones, quibus redivivum se vidisse existimaverint, posteriora saltem tempora diem illum missum fecissent, cui historia, veritatis testis illa, se opposuisset. Sed quid plura? » Dicendum esset" (sunt verba TURRETTINI) » in-  
»credibilem hominum multitudinem, absque ullis hu-  
»manis auxiliis" (qua in re differunt a Muhammedanis,

(1) *Apologia* I, 67, pag. 34, ed. Paris. 1742.

qui exercitiis armisque religionem suam propagarunt) » absque ullo emolumento, contra inter extrema pericula et supplicia omnis generis a patriis sacris recessisse, » et doctrinam stultissimam carnique ingratisimam admisisse, et ad mortem usque propugnasse — adeo ut per saxa, per ignes, per cruces, inter patibula viam sibi fecerit (1).” Sed Judaei neque Gentiles, populi neque Imperatores, exercitus nec persecutiones, vincula neque carceres, cruciatus neque mortis supplicium impedire potuerunt, quominus sacram coenam in memoriam mortis, festum Paschatis in memoriam resurrectionis CHRISTI celebrarint Christiani, quominus firmior semper ac validior evaserit Ecclesia Christiana, neque in posterum impedire poterunt, quominus totus terrarum orbis aliquando redivivi laudes sit celebraturus. Certo certius est, quod HASIUS monet: » *Das Christenthum — seiner Erscheinung nach, ruht auf der Auferstehung* (1),” et luce clarius patet, iis, qui hisce miraculum inesse et in vitam rediisse JESUM negent, multo majora obesse miracula, ubi aedificium adspiciunt, fundamento carens, ex aëre pendens.

---

(1) *Opp. omnia* I, 474.

(2) *Leb. Jesu*, ed. 3, p. 217.

## CAPUT IV.

NEXUS, QUI JESU IN VITAM REDITUI CUM SPE NOSTRA  
SALUTIS FUTURAE INTERCEDIT.

Vidimus, cum historia JESU, Apostolorum, Ecclesiae primaevae Christianae junctam esse rem, quam tuiti sumus, ita ut ab ea minime divelli possit. Sed non sufficit, JESU e mortuis resuscitationis vim et significationem historicam exposuisse; magnam praeterea gravitatem ei tribuimus dogmaticam et moralem, tum, ut de aliis taceamus, quia justificationem nostram coram Deo confirmat, tum, quia imago est et stimulus emendationis nostrae, tum, quia pignus est resurrectionis nostrae vitaeque aeternae. Caetera missa facientibus, haec paucis exponere nobis liceat (1).

### § 1.

#### *Nexus cum justificatione nostra.*

Ita se Pater coelestis in JESU CHRISTO hominibus patefecit, ut peccato obnoxiiis mortisque imperio subjectis significaret, peccata se velle condonare mortemque aufer-

---

(1) Alia vel supra attigimus, vel exposita videas a KRABBIO, l. l. pag. 275 sqq. cf. H. A. MAU, *von dem Tode, dem Solde der Sünde und der Aufhebung derselben durch die Auferstehung Christi*, in *Diario: Theol. Mitarbeiten*, 1833, II, p. 3 sqq. 1840, IV, p. 1 sqq. — Cf. quoque LIEFSTINK, *Disp. over het belang van Jesus opstanding*, a Soc. Hag. praemio ornata, 1796.

re, modo fidem haberent filio, qui mortem subiit, ut servos peccati a morte liberaret eosque ad Deum reduceret, quique in vitam revocatus est, ut vitam iis vindicaret, opusque suum confirmaret ac perficeret. Mortis JESU vim salutarem hic exponere vetat instituti ratio, arctissimam autem esse illius conjunctionem cum reditu in vitam antea vidimus; attamen JESU magis historiae rationem habuimus, quam beneficiorum, quae generi humano attulit. Hic animadvertere liceat, JESUM omnibus, quae his in terris perfecit, sigillum quasi impressisse reditu suo in vitam, quem testem dicimus veritatis eorum, quae fecit et dixit, et *fundamentum* melioris, quam expectamus, conditionis. Quaecunque enim de se testatus est, tamquam filio Dei, in hominum salutem mortem subituro, de Patris amore erga homines, et de fide sibi, tamquam Sospitatori generis humani, habenda, haec omnia vim accipiunt et auctoritatem, quum e sepulcro redivivum Eum egressum esse videmus. Et enim a Patre e mortuis resuscitatus Dei filius declaratus est (Rom. I: 4); insontem Eum vidimus mortem subisse, eamque vi sua privasse, atque illam ob causam a Deo in vitam revocatus est, ut luculenter comprobaret, Eum mortis victorem esse habendum. Semel enim mortuus est in gratiam peccati; in vitam vero revocatum mors eum sibi subicere non valet, *θάνατος αὐτοῦ οὐκ ἔτι κωλύει* (Rom. VI: 9, 10. Act. Ap. XIII: 34). Quo fit, ut eo tutius fidem ei habere possimus, quo certius constat, Patrem Eum in vitam revocasse, et tristem nostram in meliorem convertisse conditionem (Eph. II:

5 sq.). Etenim, qui propter peccata nostra mortem subiit, ut expiarentur, in vitam revocatus est propter justificationem nostram, ut in integrum restitueremur (Rom. IV: 25). Ita juncta est CHRISTI mors cum ejus e mortuis resuscitatione, ut, quod illa effecit, haec confirmet, ut sine altera nullam altera vim habeat. Conjuncta effecit utraque, ut, abrogata lege, vim suam amitteret peccatum, quod quum vi sua esset privatum, mortis quoque imperium abrogatum est. *Ναμ ἡ δύναμις τῆς ἁμαρτίας, ὁ νόμος, et τὸ κέντρον τοῦ θανάτου ἢ ἁμαρτία* (1 Cor. XV: 56). CHRISTO in vitam revocato, novum incepit aevum vitae et salutis, quam mors interrompere non potest, quum nec CHRISTI vitam mors interrumpat. Hoc vero, quod ultimo loco statuimus, affirmare non possunt, qui, in vitam JESUM revocatum esse concedentes, negant, in coelum Eum rediisse, adstantibus discipulis, corpore indutum. Quocumque enim se vertat HASIUS, quem unum omnium instar laudemus, et licet affirmaverit: *»es ist wahrscheinlich genug an sich, dass Jesus auf andre als die gewöhnliche Weise von diesem irdischen Weltkörper schied;»* certum est, JESUM, quem hominem fuisse scimus post reditum in vitam, humano more ab hominibus discedere debuisse, nisi extraordinaria via ad Patrem rediisset. Quum igitur ascensionem in coelum mythum dicat, veritatem vero historicam vindicet resuscitationis, hanc omni vi sua privasse censendus est HASIUS (1); nam sponte patet,

(1) *Leb. Jesu*, ed. 3, § 127. Verba, quibus usus est, fluctuan-

denuo Eum mori debuisse, quem Deus palam ad dextram suam non collocavit, mortisque victorem illum haberi non posse, de quo non certo certius scimus, numquam eum moriturum esse.

Sed quae HASIO obest difficultas, eadem nostram premere sententiam visa est KRABBIO <sup>(1)</sup>, statuenti, de JESU, denuo non morituro post reditum in vitam, constare minime posse apud eos, qui corpus ei humanum tribuunt, idem illud, quo ante crucis mortem indutus fuerat. Sic enim per 40 dies, temporis spatium illud inter reditum in vitam et in coelum ascensionem, morti Eum obnoxium fuisse, neque mortis victorem vere haberi potuisse, monuit. Attamen hoc tenendum est. Quum vere mortuus est CHRISTUS, adeoque hoc nomine Patris voluntati satisfecit, opusque suum ad finem usque perduxit, in vitam revocatus, licet corpore indutus esset humano, de morte, quippe poena peccati, victoriam reportavit; quam ut confirmaret Pater, brevi post summos ei contulit honores, quum in coelum ascendenti aeternam JESU CHRISTO gloriam tribueret. Ubi fide amplectimur doctrinam Apostolorum de JESU in coelum sublato, equidem non video, quidni eodem jure atque illi, qui aethereum

---

tem ejus doctrinam produunt. Quid enim significant haec: »Denn »sein Abschied war nicht das trübe scheiden eines Sterblichen, »sondern der Segen eines Verklärten, welcher, eins durch seine »Liebe mit der Gottheit, auch unter den Seinen unsterblich fortzu- »leben verhieß; und er ist bei uns geblieben.« — ?

(1) L, l. p. 299 sqq., in primis pag. 304.

aut glorificatum JESU corpus tribuunt, cum PAULO affirmare possimus: »Χριστός ἐγενεθεις ἐκ νεκρῶν, οὐκέτι ἀποθνήσκει (Rom. VI: 9), quum de corporis CHRISTI natura non loquatur, sed de JESU, postquam in coelum abiisset, immortalitate et gloria vestito. Quod ante mortem precatus erat: καὶ νῦν δόξασόν με, σὺ πάτερ, παρὰ σεαυτῷ τῇ δόξῃ, ἣ εἶχον πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι, παρὰ σοί (Joh. XVII: 5), exaudivit Pater coelestis. Gloria Eum exornatum viderat magnus gentilium Apostolus, cujusque laudes per totam vitam celebravit, hujus corpus in coelo degentis σῶμα τῆς δόξης dicere potuit (Phil. III: 21). Ex hac autem denominatione nihil effici potest, quod de corporis JESU natura, his in terris versantis, aliquid nos doceat, quum CHRISTUM resuscitatum, sed in coelum etiam sublatum, summa potestate utentem et cum ἐνεργεια τοῦ δύνασθαι αὐτὸν καὶ ὑποτάξαι ἐαυτῷ τὰ πάντα sibi informet. Statuas igitur, corpus JESU, quum in coelum adscenderet, commutatum et a pristino diversum factum esse, quo omnes, quas nonnulli movent difficultates removeas. Ne vero cum aliis JESU mortis veritatem negemus, qua negata, nullam habet vim Ejus in vitam redivit. Ita enim, qui non vere mortuus est, minime mortis vim infregit, et qui non vere e mortuis in vitam revocatus est, nequaquam vitam nobis patefecit et vindicavit. JESUS CHRISTUS, quum crucis mortem subiit, et a Patre in vitam revocatus est, nos vere a peccati poena liberavit, vitaeque et salutis aeternae participes nos reddidit. Deus palam ita significavit, se genus humanum in felicem, quem peccantes amiserant,

statum restituere velle, modo fidem haberent Filio, fideque amplecterentur, quae peregit. Nam qui fide cum CHRISTO conjunctus est, uberrimos ex eo aliquando feret fructus; ἔχει τὴν μαρτυρίαν ἐν ἑαυτῷ, scilicet, ὅτι ζωὴν αἰώνιον ἔδωκεν ἡμῖν ὁ Θεός. καὶ αὕτη ἡ ζωὴ ἐν τῷ νίῳ αὐτοῦ ἐστίν (1 Joh. V: 10, 11). CHRISTUS θανατωθεὶς μὲν σαρκί, ζωοποιηθεὶς δὲ τῷ πνεύματι (1 Petr. III: 18) ad Deum nos reduxit, cui per eum fidem jam habemus (I: 21), quum ad novam certamque spem de novo nati videamur (I: 3 sq.). CHRISTI καταργήσαντος μὲν τὸν θάνατον, φωτίσαντος δὲ ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν (2 Tim. I: 10) peculium jam sumus; fides ei, e mortuis in vitam revocato, habita ad salutem nos ducit (Rom. X: 9), Eumque τὸν κατακρίνοντα extimescendum certe non habemus (VIII: 34). Nam pro nobis mortuus est, atque idem ille in vitam revocatus, ut nos liberaret; quod si igitur non resuscitatus est, mors salutaris omnem vim suam amittit, et nos peccato obnoxii manemus; frustra fiduciam in eo reponimus, omniumque sumus miserrimi (1 Cor. XV: 17 sqq.). Scilicet, cum ita se res habeat, ut nulla mutatio, JESU non resuscitato, in conditione nostra obtinuerit, maximi sane momenti habendus est JESU redivivus in vitam, qui *et* cum Deo nos conjungit, *et* fidem, CHRISTO habendam, confirmat, *et* animum nobis quietum reddit. Quum enim Dei eramus inimici, καταλλάγημεν τῷ Θεῷ διὰ τοῦ θανάτου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, πολλῶ μᾶλλον καταλλαγέντες σωθησόμεθα ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ (Rom. V: 10).



§ 2.

*Nexus cum emendatione nostra.*

JESU reditus in vitam recte dicitur *imago* et *stimulus* emendationis nostrae, non eo sensu, quo recentiores nonnulli statuerunt, Apostolos e mortuis JESUM resuscitatum esse docuisse, ut significarent, homini emendatione morali opus esse. Illis enim haec Apostolorum doctrina ita symbolice informata esse videtur, ut ipsam historiam missam facere, ideam vero, sub imagine propositam, retinere male sibi licere putarent. At, qui sibi persuaserit de JESU resuscitationis veritate, ei egregium in oculos continuo incurrit momentum hujus rei, quae sub imagine vere proponit emendationem nostram, et ad eam incitat, uti monuerunt Apostoli.

Scilicet ita sibi rem informarunt, ut, quum CHRISTUS in hominum salutem mortuus esset, hos adhortarentur, ad pristinam vitae rationem emendandam, CHRISTO fide habita, Deoque vita consecrata. Imaginem PAULUS petiit e baptismo, per quem mortis JESU participes facti sunt Christiani, ita ut in aquam immersi cum CHRISTO mortui videantur. Jam vero *σύμφυτοι γενόμενοι τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανάτου αὐτοῦ*, caeterorum, quae CHRISTUS passus est, participes facti sunt, praesertim *τῆς ἀναστάσεως*. Haec novae CHRISTI vitae erat initium, quam mors certo non interruptura erat; ab eo igitur temporis puncto, quo cum CHRISTO mortui erant, qui in baptismo, ex aqua egredientes, resuscitati apparuerant, eorum quo-

que vita a pristina diversa habebatur. Ita et nos cum CHRISTO sepulti videmur, ἵνα, ὡς περ ἠγέρθη Χριστός ἐκ νεκρῶν διὰ τῆς δόξης τοῦ πατρὸς, οὕτω καὶ ἡμεῖς ἐν καινότητι ζωῆς περιπατήσωμεν (Rom. VI: 3 sqq.). Pulcherrima certe imago, quam PAULUS nobis proposuit. Qui CHRISTO fidem habuit, antiquissimo tempore sancto baptismo lavabatur; sub aqua disparuit, qui peccato Diis-que falsis valedixit, ex aqua emersit, qui vitam CHRISTO consecrare voluit. Quid mirum, PAULUM in hisce similitudinem quamdam invenisse cum JESU in vitam reditu, quem imaginem dixit novae Christianorum vitae, emendationis eorum moralis? Sponte eo ducebatur, quum mortem CHRISTI cum Ejus reditu in vitam semper fere jungat, et qui illius sit particeps, hunc quoque sibi vindicare posse videatur (2 Cor. IV: 10, 11). Idem fere PETRUS innuit (1 Ep. III: 21), sed quod uterque effinxit σύμβολον, nisi historico nixum esset fundamento, non magnam in hominibus habuisset vim <sup>(1)</sup>. Nisi de

(1) Memorabile mihi videtur, quod apud antiquioris aevi Christianos in more fuisse testatur scriptor opusculi: ἀποκρίσεις πρὸς τοὺς ὀρθόδοξους, quod cum JUSTINI M. operibus editum invenitur in ed. laud. p. 441 sqq. Provocans ad IRENAEUM, tradit: διὰ τοῦτο ἡ ἐν ταῖς ἕξ ἡμέραις ἡμῶν γονυκλισία σύμβολόν ἐστι τῆς ἐν ταῖς ἁμαρτίας πτώσεως ἡμῶν· τὸ γὰρ ἐν τῇ κυριακῇ μὴ κλίνειν γόνυ, σύμβολόν ἐστι τῆς ἀναστάσεως, δι' ἧς τῇ τοῦ Χριστοῦ χάριτι, τῶν τε ἁμαρτημάτων, καὶ τοῦ ἐπ' αὐτῶν τεθανατωμένου θανάτου ἠλευθερώθημεν. Ita ab Apostolorum aetate Christianos consuevisse monet, die solis et inter festum Paschatis et Pentecostes spatio, preces fundentes, genua non flexisse, in memoriam resurrectionis CHRISTI, cf. l.l. quaest. 115.

CHRISTI resurrectionis veritate nobis persuadere possumus, Evangelistarum de ea narrationes non facile, speculi instar, novae vitae emendationisque nostrae moralis imaginem nobis cernendam praebiturae fuissent. Quo enim modo in JESU, e mortuis non resuscitato, vitae emendationis imaginem cernere potuissemus? Uti sepulcrum corpus CHRISTI, ita peccatum corpora nostra retinuisset; CHRISTI mors nostrae mortis imaginem retulisset, at nullum novae vitae initium! Vindicata vero Ejus e mortuis resurrectione, appareat jam ejus momentum. En tibi incitamentum, quod ad mores emendandos te adhortetur.

Etenim non tantum imago, sed stimulus etiam emendationis nostrae habeatur JESU in vitam reditus. Scilicet *ὁ παλαιὸς ἡμῶν ἄνθρωπος συνεσταυρώθη, ἵνα καταργηθῇ τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας, τοῦ μηκέτι δουλεύειν ἡμᾶς τῇ ἁμαρτίᾳ* (Rom. VI: 6.). CHRISTUS in gratiam peccati mortuus est, at in vitam revocatus *ζῆ τῷ Θεῷ* (s. 10); nos vero, qui cum eo in vitam revocati videmur, peccato, non vero Deo, obtemperare pergeremus? Absit profecto! CHRISTUS nos tenet, in vitam revocatus, *ἵνα καρποφορήσωμεν τῷ Θεῷ*; a legis imperio liberatos *ἐν καινότητι πνεύματος δουλεύειν* nos oportet, uti eos decet, qui a CHRISTO, in vitam revocato, nomen habent (VII: 4 sqq.). Quandoquidem pro omnibus mortuus est JESUS, non sibi, *ἀλλὰ τῷ ὑπὲρ αὐτῶν ἀποθανόντι καὶ ἐγεσθέντι* vivere eos oportet (2 Cor. V: 15.); *τὰ ἀρχαῖα παρῆλθεν, ἰδοὺ γέγονε καιρὸς τὰ πάντα* (s. 17.). Res esset sibi ipsa repugnans, novam cum CHRISTO vitam degere, et

pristino obtemperare domino, quasi cum CHRISTO non resuscitati apparuissemus. Peccato, voluptati bonisque terrestribus valedicendum est, quum, qui fide cum CHRISTO juncti sunt, terrestria non curent; *εἰ οὖν συνηγέρθητε τῷ Χριστῷ, τὰ ἄνα ζητεῖτε, οὗ ὁ Χριστός ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ καθήμενος* (Col. III: 1.). Regnum inceptit gratiae, quo, *πισθέντες ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς* (Eph. II: 10), magis magisque salutis aeternae adipiscendae studiosi fiamus necesse est, JESUM CHRISTUM in vitam revocatum intuentes, *ἑαυτοὺς τῷ Θεῷ, ὡς ἐκ νεκρῶν ζῶντας, καὶ τὰ μέλη [ἡμῶν] ὄπλα δικαιοσύνης τῷ Θεῷ* consecrantes (Rom. VI: 13). Redivivus e sepulchro victor egressus est peccati mortisque; cum eo ex peccati illecebris erepti jam nunc vivimus Deo. Quod si autem mythis annumerandus esset JESU reditus in vitam, frustra ad eum provocaturi fuisset; quum vero de ejus veritate constet, eumque vindicatum esse sciamus, quam dilucide ejus momentum apparet! Quam egregie nos incitat ad vitam emendandam! Ita morum emendationis imago continuo nobis stimulus evadit, quo incitati, ad bonam frugem nos recipiamus.

Quae cum ita sint, licet mortem omnes expectemus, hac in vita tamen ad salutem aeternam nos praeparat JESU e mortuis resuscitatio. Nam Dei spiritu ducti, in Dei CHRISTIQUE honorem viventes, vitae salutisque aeternae in dies certiores fiamus, hac spe freti, fore ut aliquando una cum CHRISTO vere vitae aeternae simus participes.

§ 3.

*Nexus cum resurrectione nostra vitaeque  
futurae.*

Ἐν τῷ Ἀδάμ πάντες ἀποθνήσκουσιν. Tristissimum certe at verissimum PAULI effatum, quod experiētiā confirmatum omnes videmus. Parvi haec vita faciēda esset, si atra mors finem imponeret stadio, quod in se spectatum, peccato etiam contaminatum, omne gaudium nobis auferret. Sed Dei gratia alterum, consolationis fontem uberrimum, addidit effatum: ἐν τῷ Χριστῷ πάντες ζωοποιηθήσονται (1 Cor. XV: 22). CHRISTI in vitam reditus pignus nobis est resurrectionis nostrae, vitaeque futurae aeternae.

Ipse, uti supra vidimus, sibi CHRISTUS mortuorum resurrectionem tribuit, quam, quominus sensu morali accipiamus, vetat hoc, quod addit: καὶ ἀναστήσω αὐτὸν ἐγὼ τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ (Joh. VI: 40). JESU doctrina instituti, deque Ejus in vitam reditu persuasi, Apostoli eandem doctrinam professi sunt, quam ut confirmarent, ad resuscitationem Sospitatoris e mortuis provocarunt. Docent mortuos in vitam aliquando CHRISTUM revocaturum esse, omnesque judicaturum; Deum, ut omnes hoc rite teneant, e mortuis Eum resuscitasse (Act. Ap. XVII: 31), atque per Eum nos olim in vitam revocaturum esse (2 Cor. IV: 14; 1 Thess. IV: 14 sqq.). Si de corpore quaeras, quo induti apparituri simus, multa certe habet, quae nobis opponat ratio humana, quae

corporis resurrectionem illudit, et infitias ire conatur. Absit vero, ut disputando argumentis eam vindicemus, aut ad ea, quae obijciunt philosophi, animum advertamus. Finem imponamus necesse est disquisitioni nostrae, quae ne justo longior fiat metuo. Jurare hic liceat in verba magistri, et PAULUM nos sequi profiteamur, qui: ποίῳ δε σώματι ἔρχονται; quaerenti, respondet: ἐγείρεται ἐν ἀφθαρσίᾳ, ἐν δόξῃ, ἐν δυνάμει. Corpus erit *spirituale*, perniciiei non obnoxium, nam οὐδὲ ἡ φθορὰ τὴν ἀφθαρσίαν κληρονομεῖ, neque, quod peccato serviit corpus, vitae aeternae particeps fieri poterit (1 Cor. XV: 35 sqq.). JESUS CHRISTUS μετασχηματίζει τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸ σὺμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ (Phil. III: 21.). Multae sane difficultates remanent, neque intellectu facilis haec doctrina nobis videtur, at morali aut symbolicae ejus interpretationi favere non ausim. Qui enim eam proponunt, non recte attendisse mihi videntur ad comparisonem, quam PAULUS instituit, *tum* inter ADAMUM et CHRISTUM, *tum* inter CHRISTUM et nos. Quod enim PAULUS de ADAMO profitetur, per eum omnes mori, nequaquam improprie, sed proprio sensu accipiendum est, de morte physica eamque secuturo statu infelicissimo, cui opponitur ἡ ζωὴ, quam per CHRISTUM omnes consecuturi sunt: ἐν τῷ Χριστῷ πάντες ζωοποιηθήσονται (1 Cor. XV: 22.). Patet igitur verum esse, quod dixit: δι' ἀνθρώπου ὁ θάνατος, καὶ δι' ἀνθρώπου ἀνάστασις νεκρῶν (s. 21). Deinde attendas, quaeso, ad comparisonem, quam instituit inter CHRISTUM et nos.

Prouti CHRISTUS resuscitatus est, ita quoque nos Deus in vitam revocabit, sed ἀπαρχὴ Χριστός, ἔπειτα οἱ τοῦ Χριστοῦ (s. 23, coll. Rom. VIII: 11; 1 Cor. VI: 14). Eadem ratione, qua e sepulcro CHRISTUS prodiit redivivus, nos aliquando in vitam redituri sumus, ἕκαστος δὲ ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι ne vero illud proprie, hoc improprie quis interpretetur, quo fieret, ut CHRISTUS nullo modo ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων dici potuisset (s. 20). Hoc nomine tantum Eum PAULUS insignivit, qui mortuus, at in vitam revocatus, numquam moriturus est, quocirca nec LAZARI neque aliorum in vitam reditus ei obest, qui denuo mortui sunt, ut iterum olim in vitam revocentur.

E mortuis resuscitati vitae aeternae participes erunt; qui cum CHRISTO fidei vinculo juncti sunt, nullam perniciem extimescendam habebunt. Ἐσχάτος ἐχθρός καταργεῖται ὁ θάνατος (1 Cor. XV: 26), quo subacto, omnes τὴν εἰκόνα τοῦ ἐπουρανίου ferentes, et immortalitate donati, de veritate sibi persuadebunt τοῦ λόγου κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νίκος. Victoris agminis tunc audietur chorus: ποῦ σου, θάνατε, τὸ κέντρον; beatorumque paeon: ποῦ σου, ἄδη, τὸ νίκος; Vita incipiet salutis numquam interiturae; namque ejus pignus est JESUS CHRISTUS, in vitam a Deo revocatus, caput totius corporis, cujus nos membra sumus, cum eo arcissime juncta; qui, uti in omnibus, ita quoque longae illius in vitam revocatorum seriei primus est, ἀρχὴ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν.

Quod hic suspicari tantum nobis licuit, in statu feli-

cissimo certo cognitum habebimus; imperfecta hęc, perfectior ibi erit scientia nostra. Una cum caeteris, qui CHRISTO toti se tradiderint, perspectum habebimus *tum* nexum, qui JESU CHRISTI operi cum nostra intercedat salute, *tum* Ipsum et *τὴν δύναμιν τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ* (Phil. III: 10). Laudes Dei celebrabuntur: *τῷ Θεῷ χάρις τῷ διδόντι ἡμῖν τὸ νῦνος, διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ* (1 Cor. XV: 57), et qui de se ipse affirmavit: *Θαροεῖτε, ἐγὼ νενίκηκα τὸν κόσμον* (Joh. XVI: 33), illum aliquando beati laetum nuntium palam profitentem audient (Apoc. I: 18): *ἐγενόμην νεκρός, καὶ ἰδοὺ ζῶν εἶμι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων ἀμην.*

---



## T H E S E S.

---

### I.

JESU reditum in vitam, ad doctrinam de Ejus persona pertinere, non recte negavit SCHLEIERMACHERUS.

### II.

JESUM peccato immunem fuisse, illius resurrectione e mortuis egregie comprobatur.

### III.

Licet, antequam JESUS in vitam redierit, alii quoque e mortuis resuscitati fuerint, vel sic tamen summo Ille jure dicitur *πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν*.

### IV.

Corpus humanum, quod JESU in vitam revocato tribuimus, non impedit, quominus cum PAULO (Rom. VI: 9) statuamus: *θάνατος αὐτοῦ οὐκ ἔτι κυριεῖ*.

### V.

Omnem JESU e mortuis resurrectionis vim et significationem auferunt, *tum*, qui vere mortuum fuisse JESUM negant, *tum*, qui Ejus in coelum ascensionem mythis annumerant.

VI.

Testimonium, quod de se ipse tulit JESUS, maximam habet probandi vim.

VII.

Periculi plenum existimandum est, a communi fere Ecclesiae Patrum testimonio recedere, quod de Evangeliorum Canonicorum scriptoribus, lingua caet. ferunt.

VIII.

MARCUM Evangelistam stipendia meruisse mihi non verisimile videtur.

IX.

Lectio διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα ἐν ὑμῖν, Rom. VIII: 11, vulgatae praefenda est.

X.

Verba Matth. X: 23, ἕως ἄν ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, non eo sensu explicanda sunt, ut JESUM, post breve temporis spatium se cum discipulis denuo conventurum esse, promississe, ex iis efficias.

XI.

Assentiendum minime est STRAUSSIO, existimanti (*Leb. Jesu*, ed. 3, I, p. 675) parabolam de divite, iter instituturo, servisque talenta exhibente, Luc. XIX: 12 sqq., confictam esse ex duabus illis parabolis, quae Matth. XXV: 14 sqq. et XXI: 33 sqq. habentur.

XII.

Ὁ σείσμος, qui memoratur Matth. XXVIII: 2, haudquamquam *militum animi commotionem* significat.

**XIII.**

Islamismo Mosaisimum praestantiorem esse statuo.

**XIV.**

*Concordata* q. d. plerumque Pontificibus Romanis unice favent, de auctoritate vero detrahunt Imperatoris vel Regis, qui ejusmodi cum illis foedus ferit.

**XV.**

Altera PAULI Apostoli captivitas argumentis satis validis defendi non potest.

**XVI.**

Anachoretæ, a caeteris separatim viventes, et sibi et societati Christianæ nocuerunt magis quam profuerunt.

**XVII.**

Rite discernatur inter librorum Symbolicorum et formularum Lithurgicarum auctoritatem.

**XVIII.**

Institutioni Catecheticae, tum mensibus hibernis, tum aestivis, opera navanda est.



# V A A R W E L ,

AAN MIJNEN VRIEND

## J. I. D O E D E S ,

BIJ ZIJN VERTREK VAN DE AKADEMIE.

---

Eisch geen feestlied van hem, wien de stormen van 't leven

De lier deden breken, aan de vreugde eens gewijd.

Neen, vraag niet, dat hij geurige rozen zal weven

Door de krans, die de roem om de slapen u spreidt.

Ja, voorheen mogt mijn hart, gansch van vreugde bevangen,

Zich soms uiten in 't kunstloos, maar vreugdevol lied,

En soms ruischten mijn' toonen en klonken mijn' zangen

Voor het zalig verleden en 't lagchend verschiet.

Doch dat al is voorbij, en zal nooit zich herhalen.

De Acoolsharp mijner droomen ligt neder in 't stof.

Als een rookdamp verdweenen mijn' zaal'ge idealen,

En de toon mijner snaren werd somber en dof.

Past die toon op het feest, dat gij, vriend! thans moogt vieren?

Past een rimpel op 't voorhoofd van hem, die u mint?

Waar nu groenende lauwren den schedel u sieren,

En gij hier uwe droomen verwezenlijkt vindt?

---

O! ik weet het, gij kunt haar, gij zult haar niet wraken,  
Gij waart mij een steun, waar de hoop mij ontzong,  
En gij weest mij zoo vaak op het lichtende baken,  
Dat steeds in den donkeren nacht voor mij blonk.

O! heb dank voor die vriendschap, heb dank voor die trouwe,  
Heb dank voor die hulp, en dien troost en dien raad,  
Die zoo vaak bij mijn droefheid, mijn smart en mijn rouwe,  
Mijn hoop was, mijn steun, mijn' verligting, mijn baat.

Vriend! Uw toekomst is schoon! Mogt ze nooit u misleiden.  
Maar al werd ge ook bedrogen door 't kleurig verschiep,  
Steeds het oog op die star, die ons voorlicht, ons beiden;  
De *Liefde*: haar luister en licht tanen niet!

Ja, wat laauwren de roem door uw' haren moog hechten,  
Hoe schitterend van kleur en hoe weeldrig van blad,  
De rozen der Liefde zijn schoonere vlechten;  
Zij verwelken noch dorren u ooit op uw pad!

Kom dan, voorwaarts gestreefd! God en liefde in het harte,  
Den Hemel in 't oog en een' vriend aan de hand!  
Kom dan, voorwaarts gestreefd! zoo door vrengde als door smarte  
Wordt gij eenmaal bereid voor een zaliger stand.

Nu, vaarwel, o mijn Vriend! Ja, dat woord doet mij treuren;  
Maar ik weet, hoe het lot van elkander ons voert,  
Geene magt is in staat om een' band te verscheuren,  
In de jeugd eens zoo hartlijk, zoo hecht vastgesnoerd.

F. S. Jr.

---

## CORRIGENDA.

---

Pag.	35	Ann.	3.	longinguo	<i>lege:</i> longinquo
»	59	Reg.	2.	caetorum	—— caeterorum
»	65	—	21.	quaesierunt,	—— quaesiverunt,
»	192	Ann.	2.	Joh. I: 4,	—— Joh. II: 4,
»	—	—	—	Matth. XIX: 26 sqq.	—— Matth. XIX: 16 sq.
»	197	Reg.	18.	resuscitabantur	—— resuscitabuntur
»	207	—	7.	peccati	—— peccato
»	—	—	14.	σωθίζση	—— σωθίζση

---